
Digitized by Google

XLV
GG
2

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLV
GG
2
NAPOLI

XLV
gg
2



DE REGNO
DANIÆ ET
NORWE-
GIÆ,
Inſulisq; adjacen-
tibus: juxtà
ac
DE HOLSATIA,
DVCATV SLES-
WICENSI,
et finitimis pro-
vincijs,
Tractatus varij,

LVGDVNI BA-
TAVORVM,
Ex officina El-
zeviriana.
cIↄ Iↄc XXIX.
Cum Privilegio.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

TYPOGRAPHUS LECTORI.

MONENDUS eſt Lector, editionem hanc ſecundam nonnihil à nobis immutatã eſſe: nam quum prior editio octo tractatibus cõſtaret, duos omnino exemimus, nimirum Saxonis Grammatici fragmentum & Jonæ Koldingenſis Daniæ deſcriptionem, inſularum ac partium præcipuarum plagæ Arcticæ Theatrum repræſentantem; Et illorum loco jam inſeruimus Chorographicam Daniæ deſcriptionem, compendio è Jona Koldingenſi & Pontano aliiſque excerptam; quia ma-

gis attingebat ſcopum noſtrum, qui eſt regiones ſecundùm hodiernam illarum faciem illuſtrare: qui uti facilius cum veteri poſſet comparari, M. Adami Canonici Bremenſis Libellum de ſitu Daniæ reliquimus. cætera à nobis jam recenter addita ex Indiculo tractatuum deprehēdes, quem poſt epiſtolam dedicatoriam Viri Doctiſſimi Stephani Joannis Stephanii reperies.

Per-

Perilluſtris & Magnifici Herois

Dn. CHRISTIANI FRIIS,
Domini in Kragerup, Equitis
Aurati, Regiæ Majeſtatis Danorum Concellarii magni FILIO,

Dn. CHRISTIANO FRIIS,
Generoſæ indolis & optimæ
ſpei adoleſcenti,

S. P.

MAgni intereſt Regum ac Principum, ne ſitus & amplitudinem regionum, in quas ſupremi Numinis arbitrio imperium ſortiti ſunt, penitus inexploratam iacere ſinant atque incognitam.

Principio etenim non parvi eſt res momenti, exacte ſcire, quàm late pateant fines ditionis ſuæ ac territorii; quodve ius illis defendendis prætendere poſſint, ſi quando hac in

parte lis aliqua exorta fuerit. Iubet quippe ſanctus Iuſtitiæ rigor, unũquemq; intra terminos ambitumq; proprii dominii ſe continere, nec vicinorum latifundiis ſive vi, ſive dolo malo inhiare. Nam ob fines iniurioſe laceſſitos atrociſſimis inter ſe bellis multa quondam regna populosq; conflixiſſe, abunde nos varia Hiſtoricorum monumenta edocere poterunt. Hinc ex omni memoria ætatum temporumque certis quibusdam limitibus circumſcribebantur undique ſecus gentes & nationes: qui partim naturali ſigno conſtabant, utpote fonte, flumine, ſylva, monte, ſaxorumve congerie: partim rebus manu fabrefactis, ut ſtatua, columna, ponte, ædificiis, & id genus aliis. Atque inde GROMATICÆ artis honos profluxit, de qua paſſim authores finium regundorũ. Sic Rex Daniæ Hemmingus, cum Imperatore Ludovico pacem faciens Egdoram flu-

vium

vium regni ſui terminum accepit: teſte Adamo Bremenſi Hiſt. Eccl. c. XIII. *Id ipſum quoque Romanis rerum dominis olim curæ fuit, qui ſubiugatum virtute ſua orbem totum qua terra protenditur proprio limite ſignaverunt; ut tradit vetus Coſmographus* Æthicus. *Eiuſmodi provinciarum limites* Jus Publicum MARCHIAS *nominat; qualis eſt* Marchia Brandenburgenſis, Marchia Stiriæ, Marchia Moraviæ, Marchia Badenſis: *unde* MARCHIONES *dicti, hoc eſt, Præfecti limitanei.*

Deinde quis Principum adeo ſecure aut negligẽter agere ſuſtineat, ut terras ſuas plane nudas & idoneis munimentis defectas hoſtilibus irruptionibus exponere nihil penſi habeat; Nonne videre eſt quemlibet patremfamilias limina ædium ſuarum repagulis, ſeris, vectibus adverſus vim externam obfirmare: & cur ille, cuius in ſinu omnium

ſalus recumbit, fortunas ſubditorum incendiis & rapinis ſua imprudentia obnoxias redderet? Quocirca indefeſſo ſtudio inquirere convenit, quodnam loci ingenium aptũ ſit ad arces exſtruendas, ad erigenda propugnacula, ad civitates condendas, ad caſtra metanda: quinam maris ſinus à natura ſint facti, ad tutiora navium receptacula, & conſentanea præſidia. Hanc vigilantiæ laudem iure Annales noſtri tribuunt rari exempli fœminæ THYRÆ DANEBOD, *reginæ Daniæ, quæ contra* Saxonum *impetus, quantum à* Slesvico *ad Occidentalem Oceanum patet, vallo foſſaque proſcindere aggreſſa eſt. Cui poſtea* Valdemarus *Rex &* Abſolon *Epiſcopus coctos lateres ſuperſtruxerunt, reficientes nova ſtructura lapſus veteris valli. Ita & priſcis ſeculis hinc inde in Dania ad propulſandas piratarum incurſiones firmiſſimæ ſunt ædificatæ arces,*

ut

ut in Selandia Caalundburgum, Vardingburgũ, Stegelburgum, *ubi nunc Regia ſedes Hafnienſis.*

Porro quia ex ſoli natura plerumq; divitias & cenſus regnorum æſtimare ſolemus: diligentem inire rationem oportet, quas potiſſimum provincias divina benedictio vel agrorum fertilitate, vel ferarum & animalium fœcunditatè, vel deniq; piſcoſis undarum fluentis præ aliis beaverit: ut inde vires & facultates incolarum facilius expendi, & ad illarum normam vectigalia recte riteque conſtitui queant. Boni enim paſtoris eſt, tondere pecus, non deglubere; *aiebat quondam Tiberius Imperator. Accedit huc, quod mores & ingenia hominum, quibus ſumma cum poteſtate præſunt Principes ac Magnates, probe erunt cognoſcenda & ad unguem exploranda; præſertim hoc nomine, ut eò commodius in certas* Ordinum *claſſes diſtinguantur &*

diſtribuantur. Sunt qui ad militiam gerendam naturali inclinatione aguntur, alii ad exercenda mercimonia, nonnulli ad artes manuarias tractandas, multi ad liberalia ſtudia Muſasque excolendas; nec voto vivitur uno. Et vero tam concors diſcordia optimam Reipublicæ formam conſtituit, qua nihil in mortali hac vita optare licet beatius.

Hæc & his ſimilia, (de quibus vel facundiſſimo cuivis latiſſimus dicendi campus aperiretur) florente Republica Romana, Imperatores per Præſides & Præfectos ſuos provinciales perpetuis literarum monumentis conſignari curabant: cuiuſmodi Rationaria Imperii, & Noticias Provinciarum *appellare conſueverant. Et penes me eſt codex membraneus circa annum Domini* CIↃ CC XXI *deſcriptus: qui annuos proventus omnium præfecturarum & provinciarum totius*

Daniæ,

Daniæ, cum brevi earundẽ deſcriptione, & aliis Antiquitatibus complectitur: quem olim, ſi fata maiores in luce moras conceſſerint, publici iuris facere decrevi.

Huius etiam argumenti conſortionem meritò ſibi vendicat præſens hæc diverſorum Tractatuum Ogdoas: qui licet antehac doctorum virorum opera in lucem prodierunt; tamen quum diligentiſſimi Typographorum ELZEVIRII *ſæpius mihi indicarent, ſe quemadmodum hactenus variarum gentium Reſpublicas minuta ac portatili forma edidiſſent; ita & idipſum in Republica* DANIÆ *excudẽda præſtare cõſtituiſſe: illorum in gratiam denuo hos Authores, ſed iunctim ac uno nunc faſce collectos, in manus reſumpſi, &, aliis non ſuppetentibus documentis, iterato prælo dignos iudicavi. Sed in conſilium prius adhibui Clariſſimum Virum & Hiſtoriographum eminentiſſimum*

D.D.

D. D. Johannem Isacium Pontanum, *(cuius in amicitiam me receptum eſſe, non in extrema parte felicitatis pono) qui conatum hunc noſtrum ſuo calculo approbavit, & meæ diligentiæ totum negotium, cui ipſe, ſummis occupationibus, ac gentis præſertim noſtræ conſtituendæ hiſtoria, ipſi à regia Maieſtate demandata, diſtrictus, præeſſe non poterat, unice commiſit. Clathros itaque iam tandem perrumpit* Notitia Borealium Regnorum, *& auguſtiſſimæ literariæ Reipublicæ theatro ſe commendat, utinam ſecundis auſpiciis!*

Tuum vero nomen, Generoſe Adoleſcens, exiguo huic Enchiridio *præſcribere voluimus, quem nunc pridem fando inaudivimus præter ſtudia linguarum artiumq́ʒ, quibus ætatis maturitatem longiſſime præcurris, Hiſtoriarum quoque cognitioni tenellam animi mentem ſubinde aſſuefacere: quæ certe res*

eſt

eſt pulcherrima, utiliſſima, & neceſſaria. Hiſtoria etenim theſaurus eſt perpetuus, & præclarum vitæ humanæ ſpeculum, exemplar boni prudentisq; conſilii, multorum intellectus, & conferta ſeu accumulata ſapientia: quemadmodum eleganter eam deſcribunt anteſignani Hiſtoricorum, Thucydides, Plutarchus, Tullius, & Theologus celebratiſſimus Nazianzenus. Neque dubium eſt, quin quum maximus ille parens tuus in rebus civilibus te præcipue exerceri diſcupiat, aurea Claudiani carmina, quibus olim Theodoſius Magnus Honorium *filium ſuum ad Hiſtoriarum ſtudium ſerio cohortatus eſt, auribus tuis ſæpenumero inſtillet:*

Interea Muſis, animus dum mollior, inſtes,
Et quæ mox imitere legas: nec deſinat unquam
Tecum

Tecum Graja loqui, tecum
Romana vetuſtas.
Antiquos evolve Duces: aſ-
ſueſce futuræ
Militiæ: Latium retro te con-
fer in ævum, &c.

*Sed nec in patria Hiſtoria hoſpi-
tem te eſſe decet; cuius idcirco
compendium unum aut alterum
heic unà cum aliis nunc exhiben-
dum duximus. Deus ter Opt. Max.
te quam diutiſſime ſervet, ſtudia
tua ſoſpitet, & Magnifici Herois
parentis tui veſtigia aſſequi faciat.
Dabam Lugduni Batavorum, Idi-
bus Iuliis,* cIↃ IↃ C XXIX.

Generoſitati tuæ deditiſſ.

STEPHANVS JOHANNIS
STEPHANIVS, Danus,

INDICVLVS
Tractatuum omnium qui hoc libello continentur.

I.

Magiſtri Adami Canonici Bremenſis Libellus de Situ Daniæ & reliquarum quæ trans Daniam ſunt regionum natura: deque gentium iſtarum, iſtis temporibus, moribus ac religione.

II.

Chorographica Daniȩ deſcriptio, compendio è Jona Coldingenſi & Iſacio Pontano, aliiſque excerpta.

III.

Cœli ſolique qualitates & Regni Daniæ dotes.

IV.

Mores, ingenia & inſtituta Danicæ gentis.

V.

Regni Danici ſtatus politicus.

VI.Erici

VI.

Erici Daniæ Regis, VVratiſlai VII, Ducis Pomeraniæ fil. Hiſtorica narratio de origine gentis Danorum, & de Regibus ejuſdem gentis, deque eorundem rebus geſtis; ex codice manu deſcripto recognita & ſexcentis in locis debitæ integritati reſtituta.

VII.

Hiſtoria compendioſa ac ſuccincta Sereniſſimorum Daniæ Regum, ab incerto auctore deſcripta, poſtea vero ad Chriſtianum IV deducta & antehac in lucem edita operâ & ſtudio *Erpoldi Lindenbruch*.

VIII.

Excerpta Libelli Jonæ ab Elvervelt de Holſatia ejuſque ſtatu atque ordinibus diverſis.

IX.

Angrimi Jonæ Iſlandi tractatus de Iſlandicæ gentis primordiis & veteri Republica.

I. M.

I.

M. ADAMI, CANONICI BREMENSIS,

LIBELLVS DE SITV DANIÆ,

Et reliquarum quæ trans Daniam ſunt regionum natura: deque gentium iſtarum, iſtis temporibus, moribus ac religione.

PROVINCIA Danorum tota fere in inſulas diſpertita eſt, ſicut etiam legitur in geſtis ſancti Anſgarii. Hanc autẽ Daniam à noſtris Nordalbingis flumen Egdora dirimit, quod oritur in profundiſſimo ſaltu Paganorum Iſarnho, & extenditur ſecus mare Barbarum uſque ad Sliam lacum. Cæterum flumen Egdora deſcendit uſque in Oceanum Freſonicum, quem Romani ſcribunt Britannícum. Et prima quidem pars Daniæ, quæ Iutlandia dicitur, ab Egdora in Boream longitudine protenditur, habens iter tridui, ſi

in Fioniam Inſulam diverteris. Si autem à Sliaſvvig per directum viam metiris, quinque aut ſeptem habes iter dierum. Hæc eſt ſtrata Ottonis Cæſaris uſque ad mare noviſſimum VVendilæ, quod uſque in hodiernum diem ex victoria Regis *Ottinſund* appellatur. Latitudo Iutlandiæ ſecus Egdoram diffuſior eſt, inde vero paulatim contrahitur ad formam linguæ, in eum angulum, qui VVendila dicitur, ubi Iutlandia finem habet. Sicubi vero brachia maris occurrunt, ibi civitates habet maximas. Hanc quondam Regionem Cæſar Otto tributo ſubjiciens, in tres diviſit Epiſcopatus, unum conſtituens apud Sliaſvvig, quæ & Heithebu dicitur, quam brachium quoddam freti Barbari alluit, quod Sliam vocant; unde & civitas nomen trahit. Ex quo portu naves emitti ſolent in Slavaniam vel in Suediam, vel ad Semland, & uſque in Græciam. Alterum in Ripa, quæ civitas alio tangitur alveo, qui ab Oceano influit, & per quem vela torquentur in Freſiam, vel in noſtram Saxoniam, vel certe in Angliam. Tertium vero in Arhuſen, & hanc fretum quoddam à Fionia dirimit breviſſimum, quod ab Orientali pelago ingrediens, longis anfractibus inter Fioniam & Iutlandiam protendi-

tenditur in Boream uſque ad eandem civitatem Arhuſen, à qua navigatur in Fioniam, aut Selandiam, ſive in Sconiam, vel uſque in Norvvegiam. Poſtea vero, deficiente hoc Epiſcopatu, quem tertium poſuimus, Iutland duos ſolummodo Epiſcopatus retinuit, Sliaſvvicenſem videlicet ac Ripenſem, donec nuper mortuo VValdemaro Ripenſi Epiſcopo diœceſis illa in quatuor diſcreta eſt Epiſcopatus, auctoritatem ſuam præbente Archiepiſcopo. Qui mox conſecravit in Ripa Oddonem, in Arhuſen Chriſtianum, in VViberg Heribertum, in VVendila Magnum, cui, cum poſt ordinationem rediret, in Albia naufrago ſubrogavit Albericum. Hi quatuor Epiſcopi tunc Ripenſem dono Suenonis Regis ſortiti ſunt parochiam. Archiepiſcopus vero de ſuis Clericis ordinavit in Sliaſvvig Ratolfum, in Selandia VVilelmum, in Fionia Eilbertum, quem tradunt, converſum à piratis, Farriam Inſulam, quæ in oſtio fluminis Albiæ longo receſſu latet, in Oceano primum reperiſſe, conſtructoque ibi Monaſterio feciſſe habitabilem. Eſt enim feraciſſima, frugum ditiſſima, volucrum & pecudum nutrix, collem habet unicum, arborem nullam, ſcopulis includitur aſperrimis, nullo aditu

niſi uno, ubi & aqua dulcis, locus venerabilis omnibus nautis, præcipue vero piratis. Vnde nomen accepit, ut *Heiligeland* dicatur. Hanc in vita ſancti VVillebrordi *Foſetiſland* appellari didicimus, quæ ſita eſt in confinio Danorum & Freſonum. Sunt & aliæ Inſulæ contra Freſiam & Daniam, ſed nulla earum tam memorabilis.

Fionia inſula eſt non modica poſt eam, quæ VVendila dicitur, in oſtio Barbari ſinus occurrens. Hæc adhæret regioni quæ Iutlandia dicitur, in quam breviſſimus à Iutlandia eſt tranſitus ex omni parte. Civitas ibi magna Odanſe: Inſulæ in gyro parvulæ, omnes frugibus plenæ. Et notandum eſt, ſi per Iutlandiam in Fioniam tetenderis, directo in Septentrionem viam habes. At vero per Fioniam tranſeunti ad Selandiam, Oriens in faciem occurrit. Duo trajectus ſunt in Selandiam, unus à Fionia, alter ab Arhuſen: pari uterque diſtat ſpatio. Mare natura tempeſtuoſum, duplicique plenum periculo, ut etiam ſi ventum habeas proſperum, vix effugias manus piratarum.

Selandia inſula eſt in interiori ſinu maris Balthici ſita, quantitate maxima. Hæc tam fortitudine virorum, quàm opulentia frugum celeberrima. longitudinem

tudinem habet bidui, cum latitudo fere ſit æqualis. Civitas ejus maxima Roſchild, ſedes Regia Danorum. Hæc Inſula æquali ſpacio diſtans à Fionia vel Scania, per noctem tranſitur: haberque ab occidente Iutlandiam, civitatem Arhuſen, Alaburg & VVendilam; à borea vero, ubi & deſerta eſt, fretum Nordmanniæ, à meridie autem Fioniam prædictam & ſinum Slavanicum: ab ortu quidem reſpicit promontorium Scaniæ, ubi eſt civitasLundona. Aurum ibi plurimum, quod raptu congeritur piratico. Ipſi enim piratæ, quos illi VVithingos appellant, noſtri Aſcomannos, Regi Danico tributum ſolvunt, ut liceat eis prædam exercere à Barbaris, qui circa hoc mare plurimi abundant.

A Selandia in Scaniam trajectus multi: breviſſimus in Helſingeburg, qui & videri poteſt. Scania itaque eſt pulcherrima viſu Daniæ provincia, unde & dicitur: armata viris, opulenta frugibus diveſque mercibus, & nunc plena Eccleſiis. Scania bis tantum habet in ſpacio ut Selandia, hoc eſt, trecentas Eccleſias, cum Selandia dicatur habere dimidium, Fionia tertiam partem. Scania inſula, eſt ultima fere pars Daniæ, undique cincta mari, præter unum terræ brachium, quod ab Oriente continens Suediam

diſterminat à Dania, ubi ſunt profundi ſaltus, monteſque aſperrimi, per quos à Sconia in Gothiam neceſſario iter agitur, ut dubites utrum ſit levius marino diſcrimine terreſtre periculum vitare, an iſtud illi præponere.

In eadem regione Sconiæ nemo adhuc Epiſcopus fuit incardinatus, niſi quod ab aliis partibus quidam venientes interdum illam procurabant diœceſim. Deinde Gerbrand Selandenſis Epiſcopus, & poſt eum Avoco, ſimul utramque gubernabant Eccleſiam. Nuper vero mortuo Avocone, Rex Sueno parochiam Sconienſem in duos Epiſcopatus ſegregavit: unum, id eſt, Lundenſem, Heinrico tribuens; alterum, id eſt, Dalboienſem, Eginoni. Verum iſtum ordinavit Archiepiſcopus. Heinricus autem apud Orchadas fuit ante Epiſcopus, iſque in Anglia Sacellarius Regis Knut fuiſſe narratur. Cujus theſauros in Daniam perferens luxurioſe vitam exegit. De quo narratur etiam quod peſtifera conſuetudine delectatus inebriandi ventris, tandem ſuffocatus crepuit. Hoc & de Avocone factum eſſe comperimus, ſimiliterque de aliis. Egino vero cum eſſet vir ſapiens & literatus, ac caſtitate inſignis, tunc etiam totum ſtudium ejus exarſit in converſione Paganorum. Quapropter

propter multos adhuc populos Idolorum cultui deditos vir illeChriſto lucratus eſt, illos præſertim barbaros, qui Pleichani dicuntur, & qui in Hulmo inſula degunt. Qui omnes ad ejus prædicationem converſi in lacrymas, pœnitentiam ſui erroris ita monſtraverunt, ut confractis ſtatim Idolis, ultro certarent ad Baptiſmum properare. Mox etiam Theſauros & omnia quæ habebant ſternentes ad pedes Epiſcopi, flagitabant, ut hæc dignaretur accipere: quod renuens Epiſcopus, docuit eos ex eadem pecunia fabricare Eccleſias, egenos alere, & redimere captivos, qui multi ſunt in illis partibus. Fertur idem vir magnanimus eo tempore, quo in Suediam perſecutio magna Chriſtianitatis incanduit, Scaranenſem Eccleſiam, cæteroſque fideles, eo quod paſtore carebant, frequenter viſitaſſe, conſolationem miniſtrans his, qui in Chriſtum crediderant, incredulis verbum Dei conſtanter annuncians. Ibi etiam opinatiſſimum Fricconis ſimulachrum in fruſta concidit. Pro quibus virtutum inſignibus, à Rege Danorum, magno deinceps virDei honore habitus, defuncto mox pingui Henrico utramque Saxoniæ parochiam, ſcilicet Lundenſem & Dalboenſem, gubernandam recepit. Qui mox Lundæ ſedem Epiſco-

palem conſtituens, apud Dalbojam Prę-poſituram fratrem regulariter viventium eſſe præcepit. Itaq; duodecim annis in ſacerdotio nobiliter exactis clariſſim⁹ vir Egino à Romana regreſſus urbe, mox ut domum pervenit feliciter migravit ad Chriſtum, eodem anno quo noſter Metropolitanus & Fionienſis Epiſcopus deceſſerunt.

Nunc autem quoniam locorum ſe præbuit occaſio, ad rem pertinere videtur, aliquid de natura Balthici maris dicere. Cujus freti mentionem cum in geſtis Adaldagi Pontificis ex ſcriptis Einhardi fecerim, explanationis more utens, ea quæ illi per compendium dixi, pleniori calamo noſtris ſcienda proponam. Sinus quidam, inquit, ab Occidentali Oceano verſus Orientem porrigitur. Sinus ille ab incolis appellatur Balthicus, idemque mare Barbarum, ſeu pelagus Scythicum vocatur, à gentibus quas alluit barbaris. Occidentalis autem Oceanus ille videtur, quem Romani Britannicum ſcribunt: cujus latitudo immenſa, terribilis & periculoſa, ab occaſu complectitur Britanniam, quæ nunc Anglia dicitur: à meridie Freſos tangit, cum ea parte Saxoniæ, quæ noſtræ diœceſi pertinet Hammaburgenſi: à ſolis ortu habet Danos, oſtiumque Balthici ma-

ris, & Nordmannos; qui ultra Daniam conſiſtunt: ab aquilone vero idem Oceanus inſulas prælerlabitur Orchadas: deinde infinitis orbem terræ ſpaciis ambit; ſiniſtrorſum habens Hiberniam Scotorum patriam, quæ nunc Irland dicitur; dextrorſum vero ſcopulos Nordmanniæ; ulterius autem Inſulas Iſland & Gronland; ibi terminatur Oceanus, qui dicitur caligans. Quod autem dicit eundem ſinum longitudinis incompertæ, hoc nuper apparuit in ſolertia fortiſſimorum virorum Ganund VVolf ſatrapæ Danorum, ſive Haraldi Regis Nordmannorum, qui magno viæ labore, multoque ſociorum periculo, quantitatem hujus maris perſcrutantes, ancipiti demum jactura ventorum ac piratarum fracti, victique redierunt. Affirmant autem Dani longitudinem hujus Ponti ſæpe à pluribus expertam; ſecundo flatu per menſem aliquos à Dania perveniſſe in Oſtrogard Ruzziæ.

Latitudinem vero illam ponit, quæ nuſquam centum millia paſſuum excedat, cum in multis, ait, locis contractior inveniatur, quod in oſtio ejuſdem ſinus videri poteſt, cujus ab Oceano introitus inter Alaburg vel VVendilam promontorium Daniæ ſcopuloſq; Nordmanniæ, tam ſtrictus invenitur, ut facili

ſaltu per noctem carbaſa trajiciantur. Item limitem egreſſus Danorum, idem Pontus late brachia tendit, quæ denuo contrahit è regione Gothorum, qui à latere VVilzos habent. Deinde quanto interius vadit, tanto latius hinc inde diffunditur.

Hunc, inquit, ſinum multæ circumſident nationes. Dani ſiquidem ac Sueones, quos Nordmannos vocamus, Septentrionale littus tenent, & omnes in eo inſulas, id littus autem auſtrale Slavi Haiſti, aliæque diverſæ incolunt nationes, inter quos præcipui ſunt VVelatabi, qui & VVilzi dicuntur. Dani vero & Sueones cæteriq; trans Daniam populi, ab Hiſtoricis Francorum omnes Nordmanni vocantur, cum tamen Romani ſcriptores ejuſmodi vocent Hyperboreos, quos Marcianus Capella multis laudibus extulit. Itaque primi ad oſtium prædicti ſinus, in auſtrali ripa verſus nos Dani, quos Iuthas appellant, uſque ad Sliam lacum habitant. Vnde incipiunt fines Hammaburgenſis parochiæ, qui per maritimos Slavorum populos longo tractu porriguntur uſque ad Panim fluvium; ibi limes eſt noſtræ diœceſis. Inde VVilzi & Leuticii ſedes habent, uſque ad Odoram fluvium: trans Odoram autem comperimus degere Pomeranos, Deinde

latiſſima Polanorum terra diffunditur, cujus terminum dicunt in Ruziziæ regnum connecti. Hæc eſt ultima & maxima VVinulorum provincia, quæ & finem illius facit ſinus. At vero à parte Aquilona revertẽtibus ad oſtium Balthici freti, primi occurrunt Nordmanni; deinde Sconia prominet, regio Danorum; & ſupra eam tenſo limite Gothi habitant, uſque ad Bircam; poſtea longis terrarum ſpaciis regnant Sueones, uſque ad terram fœminarum. Supra illas VVilzi, Mirri, Lami, Scuti, & Turci habitare feruntur uſque ad Ruzziam. In qua denuo finem habet ille Sinus. Itaque latera illius ponti ab Auſtro Slavi, ab Aquilone Suedi poſſederunt. Aſſerunt etiam periti locorum, à Sueonia terreſtri via quoſdam uſque in Græciam permeaſſe. Sed barbaræ gentes, quæ in medio ſunt, hoc iter impediunt, propterea navibus tentatur periculum.

Multæ ſunt Inſulæ in hoc ſinu, quas Dani & Sueones omnes habent in ſua ditione, aliquas etiam Slavi tenent. Earum prima eſt in capite illius freti *Wendila*, ſecunda *Mors*, tertia *Tÿe*, modico ab invicem intervallo diviſæ: quarta eſt *Sampſoë*, quæ oppoſita eſt civitati Arhuſen: quinta Fionia, ſexta Selandia, ſeptima quæ illi adhæret, & quarum ſupra memoriam

moriam fecimus: Octavam dicunt illam, quæ Scaniæ ac Gothiæ proxima *Holmus* appellatur, celeberrimus Daniæ portus, & fida ſtatio navium, quæ à Barbaris in Græciam dirigi ſolent. Cæterum Fioniæ inſulæ aliæ ſeptem adjacent minores ab Euro, quas ſupra diximus frugibus opulentas, hoc eſt, *Monland, Imbra, Falſter, Laaland.* Item aliæ omnes ſibi vicinæ, cum Laaland interius vadat ad confinia Slavorum. Hæ quindecim inſulæ Danorum regnum aſpiciunt, omneſque jam Chriſtianitatis titulo decoratæ ſunt. Sed & aliæ interius ſunt, quæ ſubjacent Sueonum Imperio. Quarum maxima eſt illa, quæ Curland dicitur; iter octo dierum habens. gens crudeliſſima, propter nimium idololatriæ cultum fugitur ab omnibus. aurum ibi plurimum, equi optimi: divinis, auguribus, atque necromanticis omnes domus ſunt plenæ, qui etiam veſtitu Monachico induti ſunt. A toto orbe ibi reſponſa petuntur, maxime ab Hiſpanis & Græcis. Hanc inſulam in vita Sancti Anſgarii *Chori* nominatam credimus, quam tunc Sueones tributo ſubjecerunt. Vna ibi nunc facta eſt Eccleſia, cujuſdã ſtudio negotiatoris, quem Rex Danorum multis ad hoc illexit muneribus. Ipſe enim Rex gaudens in Domino recitavit mihi hanc cantilenã.

Præ-

Prӕterea recitatum eſt nobis, alias plures Inſulas in eodem ponto eſſe, quarum una grandis Eſtland dicitur, non minor illa de qua prius dixi. Nam & ipſi Deum Chriſtianorum prorſus ignorant, dracones adorant cum volucribus, quibus etiam vivos litant homines, quos à mercatoribus emunt, diligenter omnino probatos, ne maculam in corpore habeant, pro qua refutari dicuntur à draconibus. Et hӕc quidem Inſula terrӕ fӕminarum proxima narratur, cum illa ſuperior non longe ſit à Birka Sueonum.

Illarum autem inſularum quӕ Slavis adjacent, inſigniores accepimus tres. Quarum prima Fembre vocatur. Hӕc oppoſita eſt VVagris. Altera eſt contra VVilzos poſita, quam Rani vel Runi poſſident, fortiſſima Slavorum gens, extra quorum ſententiam de publicis rebus nihil agi lex eſt, ita illi metuuntur propter familiaritatem Deorum, vel potius Dӕmonum, quos majori cultu cӕteris venerantur. Ambӕ igitur hӕ inſulӕ piratis & cruentiſſimis latronibus plenӕ ſunt, qui & nemini parcunt ex tranſeuntibus. Tertia eſt illa, quӕ Semland appellari ſolet, contigua Ruzzis & Polonis: hanc inhabitant Sembi vel Pruzzi, homines humaniſſimi, qui obviam tendunt ad auxiliandum his, qui in mari

peri-

periclitantur, vel qui à piratis infeſtantur. Aurum, argentumque pro minimo ducunt, pellibus abundant peregrinis, quorum odor noſtro orbi lethiferum ſuperbiæ venenum propinavit. Et illi quidem ut ſtercora hæc ad noſtram forte habent damnationem, qui per fas nefaſque ad veſtem anhelamus marturinam, quaſi ad ſummam beatitudinem. Itaque pro laneis indumentis, quæ nos dicimus paldones, illi offerunt tam precioſos martures. Multa ergo poſſent ex illis populis dici laudabilia in moribus, ſi ſolam Chriſti fidem haberent, cujus prædicatores immaniter perſequuntur. Apud illos enim illuſtris Boemorum Epiſcopus Adalbertus martyrio eſt coronatus. Vſque hodie profectò inter illos, cum omnia communia ſint noſtris, ſolus acceſſus prohibetur lucorum & fontium, quos autumant Chriſtianorum pollui acceſſu. Carnes etiam jumentorum pro cibo ſumunt; quorum lacte vel cruore utuntur in potu, ita ut inebriari dicantur. Homines cęrulei, facie rubea & criniti, præterea inacceſſi paludibus, nullum inter ſe pati Dominum volunt.

Sunt & plures aliæ in hoc Ponto Inſulæ, ferocibus Barbaris omnes plenæ, ideoque fugiuntur à navigantibus. Item circa hæc littora Baltici maris ferunt eſſe

A mazo-

Amazonas, quod nunc terra fęminarum dicitur; quas aquæ guſtu aliqui dicunt concipere. Sunt etiam qui referant eas imprægnari à prætereuntibus negotiatoribus, vel ab eis quos inter ſe habent captivos, ſive ab aliis monſtris, quæ ibi non rara habentur. Et hoc etiam credibilius eſt. Cumque pervenerint ad partum, ſi quidem maſculini generis fuerit, Cynocephali; ſi quid fæminini, ſpecioſiſſimæ mulieres. Hæ ſimul viventes, ſpernunt conſortia virorum: quos etiam, ſi advenerint, à ſe viriliter repellunt. Cynocephali ſunt, qui caput in pectore habentes, in Ruzzia ſæpe videntur captivi, & cum verbis latrant in voce. Ibi ſunt etiam qui dicuntur Alani vel Albani, cum canicie naſcuntur: de quibus Solinus auctor meminit. Eorum patriam canes defendunt. Si quando pugnandum eſt, canibus aciem ſtruunt. Ibi ſunt homines pallidi, virides & macrobii, id eſt, longi, quos Buſos appellant. Poſtremo illi, qui dicuntur Anthropophagi, & humanis veſcuntur carnibus. Ibi ſunt alia monſtra plurima, quæ recitantur à navigantibus ſæpe inſpecta, quamvis hoc noſtris vix credibile videatur. Hæc habui quæ de ſinu illo Balthico vel Barbaro dicerem, cujus nullam mentionem audivi quempiam doctorum feciſſe, niſi

ſolum,

ſolum, de quo ſupra diximus, Einhardum. Et fortaſſe mutatis nominibus arbitror illud fretum ab antiquis Romanis vocari Paludes Scythicas, vel Mæoticas, ſive deſerta Getarum, aut littus Scythicum, quod Martianus ait confertum eſſe multiplici diverſitate Barbarorum. Illic, inquit, Getæ, Daci, Sarmatæ, Neuri, Alani, Geloni, Anthropophagi, Troglodytæ. Quorum errori condolens noſter Metropolitanus, ſtatuit Birkam illis gentibus Metropolim, quæ in medio Sueoniæ poſita, contra civitatem Slavorum oppoſita reſpicit Iuminem, paribuſque ſpaciis omnes illius ponti amplectitur oras. In qua civitate primum ex noſtris ordinavit Hiltinum Abbatem, quem ipſe Iohannem appellavit. Itaque de Inſulis Danorum dictum eſt ſatis. Nunc vero ad Sueonum ſive Nordmannorum populos, qui Danis proximi ſunt, convertamus articulum.

Tranſeuntibus inſulas Danorum, alter mundus aperitur in Sueoniam vel Nordmanniam, quæ ſunt duo latiſſima Aquilonis Regna, & noſtro orbi adhuc fere incognita. De quibus narravit mihi ſanctiſſimus Danorum Rex, quod Nordmannia vix queat tranſiri per menſem, cum Sueonia duobus menſibus non facile percurratur. Quod ipſe, inquit, probave-

baveram, quia nuper ſub Iacobo rege, XII annis in illis regionibus militavi, quę altiſſimis ambæ montibus includuntur, magis autem Nordmannia, quæ ſuis alpibus circundat Sueoniam. De Sueonia vero non tacent antiqui auctores, Solinus ſcilicet & Oroſius, qui plurimam partem Germaniæ Suevos dicunt tenere, nec non montana ejus uſque ad Riphæos montes extendi. Ibi etiam eſt Albis fluvius, de quo Lucanus meminiſſe videtur. qui oritur in prædictis alpibus, perque medios Gothorum populos currit in Oceanum, inde & Gothelba dicitur. Sueonia ergo regio eſt fertiliſſima, ager frugibus & melle optimus, extra quod pecorum fœtu omnibus antefertur: oportunitas fluminum ſylvarumque magna, ubique peregrinis mercibus omnis regio plena. Nullis itaque egere dicas Sueones opibus, excepta, quam nos diligimus, ſive potius adoramus, ſuperbia. Omnia enim inſtrumenta vanæ gloriæ, hoc eſt, aurum, argentum, ſonipedes regios, pelles caſtorum, & marturum, quæ nos admiratione ſui dementes faciunt, illi pro nihilo ducunt. In ſola mulierum copula modum neſciunt. Quiſque ſecundùm facultatem virium ſuarum duas aut tres vel amplius ſimul habet; divites & Principes

abſque numero: nam & filios ex tali conjunctione genitos habent legitimos. capitali vero mulctatur pœna, ſi quis alterius uxorem cognoverit, aut vi oppreſſerit virginem, ſive qui alterum bonis ſuis ſpoliaverit, aut injuriam fecerit. Quamvis omnes Hyperborei hoſpitalitate ſint inſignes; præcipui ſunt noſtri Sueones: quibus eſt omni probro gravius hoſpitium negare tranſeuntibus,ita ut certamen habeant inter ſe, quis dignus ſit hoſpitem recipere. Cui omnia exhibens humanitatis jura, quot illic commorari voluerit diebus, ad amicos ſuos illum certatim per ſingulas dirigit manſiones. Hæc illi bona in moribus habent. Prædicatores autem veritatis,ſi caſti, prudentes, & idonei ſint, ingenti fovent amore, adeo ut concilio populorum communi, quod ab ipſis VVarph,à nobisThinc vocatur,Epiſcopos intereſſe non renuant;ubi de Chriſto ac Chriſtianâ religione crebro audiunt non inviti. Et profecto facile ſermone ad noſtram fidem illi perſuaderentur,niſi quod mali doctores, dum ſua quærunt, non quæ Ieſu Chriſti, ſcandalizant eos,qui ſalvari poſſent.

Populi Sueonum multi ſunt, viribus & armis egregii, præterea tam in equis quam in navibus juxta optimi bellato-

res. Vnde etiam ſua potentia cæteras aquilonis gentes confringere videntur. Reges habent ex genere antiquos, quorum tamen vis pendet in populi ſententia; quod in commune laudaverint omnes, illum confirmare oportet, niſi ejus decretum potius videatur, quod aliquando ſequuntur inviti. Itaque domi pares eſſe gaudent. In prælium euntes omnem præbent obedientiam Regi, vel ei qui doctior cæteris à Rege præfertur. Siquando vero prœliantes in anguſtia poſiti ſunt, ex multitudine Deorum quos colunt, unum in auxilium invocant, ei poſt victoriam deinceps ſunt devoti, illumq; cæteris anteponunt. Deum autem Chriſtianorum jam communi ſententia fortiorem clamant omnibus eſſe, alios Deos ſæpe fallere, illum porro ſemper aſtare certiſſimum adjutorem in opportunitatibus.

Ex ipſis populis Suediæ proximi ad nos habitant Gothi, qui Occidentales dicuntur; alii ſunt Orintales. Verum VVeſtergothia, confinis eſt provinciæ Danorum, quæ Scania dicitur. A qua ferunt diebus ſeptem perveniri uſque ad civitatem Gothorum magnam Scarane. Deinde Oſtrogothia protenditur juxta mare quod Balthicum dicitur, uſque ad Birkam. Primus Gothorum Epiſco-

piſcopus Thurgot fuit. Secundus Godeſcalcus, vir ſapiens & bonus, niſi quod domi ſedens, otium labori prætulit. Tertium autem ordinavit noſter Metropolitanus Adalvvardum ſeniorem, vere laudabilem virum. Qui deinde ad Barbaros perveniens, ſicut docuit, ita vixit. Nam ſancte vivendo ac bene docendo, magnam gentilium multitudinem ad Chriſtianam convertit fidem. Qui etiam virtutum claruit miraculis, ita ut poſcentibus in neceſſitate Barbaris, imbrem de cælo faceret deſcendere, & denuo ſerenitatem venire, & alia quæ hactenus quæruntur à doctoribus. Is autem vir memorabilis in Gothia permanens, nomen Domini Ieſu conſtanter omnibus prædicavit. Ibidemque poſt multos agones, quos pro Chriſto libenter ſuſtinuit, victricem terræ carnem tradidit, ſpiritus cœlum petiit laureatus. Poſt quem Archiepiſcopus ordinavit in illas partes quendam Acilinum, nihil Epiſcopali nomine dignum ferentem præter ingentem corporis ſtaturam. Et ille quidem carnis requiem diligens, fruſtra legationem Gothis mittentibus, uſque ad obitum ſuum in delitiis Coloniæ permanſit. Inter Nordmanniam & Sueoniam VVarmelani & Finvvedi degunt, & alii: qui nunc omnes ſunt Chriſtiani,

reſpiciuntque ad Scaravenſem Eccleſiam. In confinio Sueonum vel Nordmannorum, contra boream, habitant Scritefinni, quos ajunt curſu feras præire. Civitas eorum maxima Halſingaland, & Halſingaland Regio eſt. Ad quam primus eſt ab Archiepiſcopo deſignatus Stenphi Epiſcopus, quem ipſe mutato nomine Simonem vocavit. Qui etiam multos earundem gentium ſua prædicatione lucratus eſt. Præterea ſunt alii numero carentes Sueonum populi, de quibus ad Chriſtianitatem converſos accepimus ſolos Gothos, VVermelanos, & partem Scritefinnorum, vel qui illis vicini ſunt.

Igitur ut brevem Sueoniæ vel Suediæ faciamus deſcriptionem: Hæc ab occidente Gothos habet, & civitatem Scaranen: à borea VVermilanos, cum Scritefinnis, quorum caput Halſingaland: ab auſtro lõgitudinem habet illius Balthici maris, de quo ante diximus; ibi eſt civitas magna Sictona: ab oriente autem Riphęos montes attingit; ubi deſerta ingẽtia, ubi nives altiſſimæ, ubi monſtruoſi hominũ greges, ultra prohibent acceſſum. Ibi ſunt Amazones, ibi Cynocephali ibi Cyclopes, qui unum in fronte habent oculum. Ibi ſunt illi quos Solinus dicit Himantopodes, uno pede ſalientes, &

illi qui humanis carnibus delectantur pro cibo, ideoque ſicut fugiuntur, ita etiam jure tacentur. Narravit igitur mihi Rex Danorum ſæpe recolendus, gentem quandam ex montanis in plana deſcendere ſolitam, & incertum eſſe unde veniat; ſemel aliquando per annum vel poſt triennium, inquit, ſubiti accedunt. Quibus niſi totis reſiſtatur viribus, omnem depopulantur regionem, & denuo recedunt. Aliaq; multa recitari ſolent, quæ brevitati ſtudens omiſi, ab his dicenda, qui hæc ſe vidiſſe teſtantur. Nunc de ſuperſtitione Sueonum pauca dicemus.

Nobiliſſimum illa gens templum habet, quod Vbſola dicitur, non longe poſitum à Sictona civitate vel Birka. In hoc templo, quod totum ex auro paratum eſt, ſtatuas trium Deorum veneratur populus, ita ut potentiſſimus eorum Thor in medio ſolum habeat triclinium. hinc & inde locum poſſident VVodan & Fricco. Quorum ſignificationes ejuſmodi ſunt: Thor, inquiunt, præſidet in aëre, qui tonitrua, & fulmina, ventos, imbreſque, ſerena, & fruges gubernat. alter VVodan, id eſt, fortior, bella regit, hominumque miniſtrat virtutem contra inimicos. tertius eſt Fricco, pacem voluptatemq; largiens

largiens mortalibus; cujus etiam ſimulachrum fingunt ingenti Priapo. VVodanem vero ſculpunt armatum, ſicut noſtri Martem ſculpere ſolent. Thor autem cum ſceptro Iovem exprimere videtur. Colunt & Deos ex hominibus factos, quos pro ingentibus factis immortalitate donant, ſicut in vita ſancti Anſgarii legitur Henricus Rex feciſſe, omnibus ſcilicet Diis attributos ſacerdotes, qui ſacrificia populi offerant. Si peſtis, & fames imminet, Thor Idolo immolant; ſi bellum, VVodani; ſi nuptiæ celebrandæ ſunt, Fricconi. Solet quoque poſt novem annos, communis omnium Sueoniæ provinciarum ſolennitas celebrari. Ad quam videlicet ſolennitatem nulli præſtatur immunitas. Reges & populi omnes, & ſinguli ſua dona ad Vbſolam tranſmittunt, &, quod omni pœna crudelius eſt, illi qui jam induerunt Chriſtianitatem, ab illis ſe ceremoniis redimunt. Sacrificium itaq; tale eſt: Ex omni animante, quod maſculinum eſt, novem capita offeruntur, quorum ſanguine Deos tales placari mos eſt, corpora autem ſuſpenduntur in lucum, qui proximus eſt templo. Is enim lucus tam ſacer eſt Gentilibus, ut ſingulæ arbores ejus, ex morte vel cibo immolatorum divinæ creduntur.

C 4

dantur. Ibi etiam canes qui pendent cum hominibus, quorum corpora mixtim ſuſpenſa narravit mihi quidam Chriſtianorum ſe LXXII vidiſſe. Cæterum næniæ, quæ in ejuſmodi ritibus libatoriis fieri ſolent, multiplices ſunt, & inhoneſtæ, ideoque melius reticendæ.

In eadem provincia nuper res contigit memorabilis, & pro dignitate geſtorum longe divulgata, pervenit etiam ad notitiam Pontificis. Quidam enim è ſacerdotibus, qui ad Vbſolam Dæmonibus aſtare ſolebat, nequicquam juvantibus Diis factus eſt cœcus. Cumque vir ſapiens infortunium orbitatis ſuæ, culturæ Idolorum imputaret, quæ ſuperſtitioſe venerans potentiſſimum Chriſtianorum Deum offendiſſe videretur, ecce ipſa nocte apparuit ſibi virgo decora nimis, interrogans, ſi in filium ejus credere vellet, ut viſum reciperet, abjectis quæ ante colebat ſimulachris. Tunc ille, qui nihil ardui renueret ſubeundum pro hoc dono, ita ſe facere lætus ſpopondit. Ad hæc virgo, Scito, inquit, certiſſime, hunc locum, ubi nunc tantus innocentium cruor effunditur, in meo dedicandum proxime honore. In qua re ne tibi aliqua dubietatis ſigna remaneant, in nomine Chriſti, qui eſt filius meus, tu

recipe

recipe lumen oculorum tuorum. Mox ille lumine recepto credidit, pertranſienſque totas in circuitu regiones, facili fide paganis perſuaſit, ut crederent in eum, qui cæcum illuminavit.

Quibus miraculorum cauſis impellentibus, ſtatim noſter Metropolitanus obediens voci, quæ dicit; Reſpicite & levate oculos veſtros, quoniam regiones jam albæ ſunt ad meſſem; ordinavit in illas partes Adalvvardum juniorem, de Bremenſi choro aſſumptum, virum literis & morum probitate fulgentem. Cui etiam per Legatos clariſſimi Regis Stenkil ſedem poſuit in Sictona civitate, quæ diſtat ab Vbſola itinere diei unius. Eſt vero iter ejuſmodi, ut à Sconia Danorum per mare velificans, quinto die pervenias uſque Sictonam vel Birkam; juxta enim ſunt. Si vero per terram eas à Sconia per Gothorum populos, & civitatem Scaranen, Telgas & Birkam, completo menſe pervenies Sictonam. Relatum eſt autem nobis à quibuſdam Adalvvardi Epiſcopi ſtipatoribus, cum primùm Sictonam acceſſiſſet, ad unam miſſarum celebrationem, ad manum ſibi oblatas LXX marcas argenti. Tantæ enim devotionis ſunt omnes populi arcticæ plagæ. Tunc etiam occaſione itineris divertit Birkam, quæ

nunc in ſolitudinem redacta eſt, ita ut veſtigia civitatis vix appareant: quare nec tumulus ſancti Vnni Archiepiſcopi potuit inveniri. Adalvvardus igitur magno prædicandi fervore Evangelii Sue-diam ingreſſus, omnes qui in Sictona erant & in circuitu, brevi temporis ſpatio adChriſtianam fidem perduxit. Conſpiravit etiam cum ſanctiſſimo viro Egi-none Sconienſi Epiſcopo, ut pariter adirent illud templum Paganorum, quod Vbſola dicitur, ſi forte aliquem Chriſto laboris ſui fructum ibi poſſent offerre; omnia tormentorum genera libenter ſuſcepturi, ut illa deſtrueretur domus,quę caput erat barbaricæ ſuperſtitionis. Illa enim diruta vel potius cremata, fore, ut tota gentis converſio ſequeretur. Quam confeſſorum Dei voluntaté piiſſimus Rex Stenkil in populo murmurari ſentiens, callide ſubmovit eos à tali cæpto, aſſerens & illos ſtatim morte damnandos, & ſe à Regno depellendum, qui malefactores in patriam duxerit,& facile omnes ad Paganiſmum relapſuros, qui nunc credunt, ſicut in Slavania nuper factum poteſt videri. Talibus Regis allocutionibus conſentientes Epiſcopi,omnes Gothorum civitates peragrabant, idola confringentes, & multa Paganorum millia deinceps

lucran-

lucrantes ad Chriſtianitatem. Hæc de Sueonia & ceremoniis ejus dicta ſufficiant.

Nordmannia ſicut ultima orbis provincia eſt, ita convenienter in ultimo libri loco ponetur à nobis. Hæc à modernis dicitur Norvvegia. De cujus ſitu vel magnitudine, cũ prius aliqua communiter cum Sueonia dixerimus, nunc vero hoc ſpecialiter dicendum eſt, quod longitudine ſua in extremam ſeptentrionis plagam extenditur hæc regio, unde dicitur. Incipit autem ex prominentibus ſcopulis hujus freti, quod Balticum appellari ſolet: deinde reflexo in Aquilonem dorſo, poſtquam ferventis Oceani marginem ſuo circuit ambitu, tandem in Riphæis montibus limitem facit, ubi & laſſus deficit orbis. Nordmannia propter aſperitatem montium, ſive propter frigus intemperatum, ſteriliſſima eſt omnium Regionum, ſolis apta pecoribus: indeque fortiſſimos educat milites, qui nulla frugum luxuria molliti, ſæpius impugnant alios, quam ipſi moleſtentur ab aliquo. Sine invidia cum proximis habitant Sueonibus, quamvis à Danis æque pauperibus non impune tentantur aliquando. Itaque rei familiaris inopia coacti, totum mundum circumeunt, & piraticis raptibus ampliſ-

ſimam

ſimam terrarum facultatem reportant domum, penuriam ſuæ regionis tali modo ſuſtinentes. Poſt ſuſceptam vero Chriſtianitatem, melioribus imbuti ſcholis, didicerunt jam pacem & veritatem diligere, paupertate ſua contenti eſſe; immo quæ hæreditant collecta, ſpargere; non, ut prius diſperſa colligere. Cumque nefandis maleficiorum artibus omnes ab initio ſervirent, nunc cum Apoſtolo ſimpliciter Chriſtum confitentur, & hunc crucifixum. Sunt etiam continentiſſimi omnium mortalium, tam in cibis, quàm in moribus, parcitatem modeſtiamque ſummopere diligentes. Præterea ſacerdotum & Eccleſiarum tantam venerationem habent, ut vix Chriſtianus habeatur, qui non quotidie offerat ad Miſſam, quam audierit. Verum Baptiſmus & Confirmatio, dedicationes altarium, & ſacrorum benedictio ordinum, apud illos & Danos care omnia redimuntur. Quod ex avaritia ſacerdotum prodiſſe arbitrantur, quia Barbari adhuc decimas dare aut neſciunt, aut nolunt, ideoque conſtringuntur in cæteris, quæ deberent gratis offerri. Nam viſitatio infirmorum & ſepultura mortuorum, omnia ibi venalia. Apud illos igitur tanta morum inſignia, ſola, ut compertum habeo,

beo, ſacerdotum corrumpuntur avaritia.

In multis Nordmanniæ vel Suediæ locis, paſtores pecudum ſunt etiam nobiliſſimi homines, ritu patriarcharum & labore manuum viventes. Omnes vero ſunt Chriſtianiſſimi, qui in Nordvvegia degunt: exceptis illis, qui trans arctoam plagam circa Oceanum remoti ſunt: quos adhuc ferunt magicis artibus, ſive incantationibus in tantum prævalere, ut ſe ſcire fateantur, quid à ſingulis in toto terrarum orbe geratur: tunc etiam potenti murmure verborum grandia cete maris in littora trahunt: aliaque multa, quæ de maleficis in ſcripturis leguntur, illis ex uſu facilia ſunt. In aſperrimis etiam, quæ ibi ſunt, alpibus, audivi mulieres eſſe barbatas: viros autem ſilvicolas, raro ſe præbere videndos; qui ferarum pellibus utuntur pro veſtibus, & loquentes ad invicem frendere magis quam verba proferre dicuntur, ita ut vix à proximis intelligi queant populis. In eiſdem montanis agreſtium tantùm eſt copia ferarum, ut plurima pars Regionis ex ſolis vivat ſilvaticis. Ibi capiuntur Vrſi, Bubali, & Elaces, ſicut in Sueonia. cæterum Biſontes capiuntur in Slavania & Ruzzia: ſola vero Nordmannia vulpes habet

nigras,

nigras, & lepores, martures albos ejuſdemque coloris urſos, qui ſub aqua, ut uri vivunt. Cumque diverſa prorſus & inſueta noſtris multa ibi videantur, ab ejuſdem patriæ incolis hæc & alia plenius dicenda relinquo.

Metropolis civitas Nordmannorum eſt Trondemnis, quæ nunc decorata Eccleſiis, magna populorum frequentatione celebratur. In qua jacet corpus beatiſſimi Olaph Regis & Martyris. Ad cujus tumbam uſq; in hodiernum diem maxima Dominus operatur ſanitatum miracula, ita ut à longinquis illuc confluant regionibus, qui ſe ſancti Martyris meritis ſperant poſſe juvari. Eſt vero iter ejuſmodi, ut ab Alaburg, vel VVendila Danorum ingredientibus navim, per diem mare tranſeatur ad VVig civitatem Nordmannorum, inde vela torquentur in lævam, circa litora Nordvvegiæ, & quinto die pervenitur ad ipſam civitatem quæ Trondemnis dicitur. Poteſt autem iri & alia via, quæ ducit à Sconia Danorum terreſtri itinere uſque ad Trondemnem: ſed hæc eſt tardior in montanis; & quoniam plena eſt periculo, declinatur à viatoribus.

In Nordmanniam primus ab Anglia venit quidam Iohannes Epiſcopus, qui Regem cum populo converſum baptizavit

zavit: cui ſucceſſit Grinkeil Epiſcopus, qui tunc erat ad Vnvvanum Archiepiſcopum Regis Olaph legatus. Tertio loco advenit ille Sigafridus, qui & apud Suedos & Nordmannos juxta prædicavit Iſque duravit uſque ad noſtram ætatem, cum aliis æque non obſcuris in illa gente ſacerdotibus. Poſt quorum exceſſum noſter Metropolitanus, petentibus Nordmannorum populis, ordinavit Tholf Epiſcopum in civitate Trondemni; & Siguardum in eaſdem partes. Aſgotum vero & Bernardum, licet moleſte ferret à Papa conſecratos, accepta ſatisfactione dimiſit à ſe donatos. Per quos uſque hodie verbum Dei multas lucratur animas, ita ut in omnibus provinciis Nordvvegiæ, beata mater Eccleſia lætis floreat incrementis. Inter Nordmannos tamen & Sueones, propter novellam plantationem Chriſtianitatis, adhuc nulli Epiſcopatus certo limite ſunt deſignati, ſed unuſquiſque Epiſcoporum à Rege vel populo aſſumptus, communiter ædificant Eccleſiam, & circumeuntes regionem, quantos poſſunt ad Chriſtianitatem trahunt, eoſque gubernant ſine invidia, quamdiu vivunt.

Poſt Nordmanniam, quæ eſt ultima Aquilonis provincia, nihil habitationis humanæ, niſi terribilem viſu & infinitum

tum Oceanum qui totum mundum amplectitur, invenies. Is habet ex adverſo Nordmanniæ inſulas multas non ignobiles, quæ nunc fere omnes Nordmannorum ditioni ſubjacent, ideoque à nobis non ſunt prætereundæ; quoniam Hammaburgenſem parochiam & ipſæ reſpiciunt. Quarum primæ ſunt Orchades inſulæ, quas Barbari vocant Organas: ritu Cycladum illæ ſunt diſperſæ per Oceanum. De quibus Romani auctores Martianus & Solinus ita ſcripſiſſe videntur. A tergo Britanniæ, unde infinitus patet Oceanus, Orchades ſunt inſulæ: quarum xx ſunt deſertæ, xvi coluntur, Orchades inſulę pæne xl junctę. Item vicinæ ſunt Electrides, in quibus Electrum gignitur. Igitur Orchades inter Nordmanniam & Britanniam ac Hyberniam poſitæ, frementis Oceani ludibundæ minas derident. Ad quas à civitate Nordmannorum Trondemne per diem ferunt navigari poſſe. Item ab Orchadibus, ajunt, ſimile ſpatium, ſive in Angliam dirigas, ſive in Scotiam flectere velis. Ad eaſdē inſulas Orchadas, quamvis prius ab Anglorum & Scotorum Epiſcopis regerentur, noſter primus, juſſu Papæ, ordinavit Thorulfum Epiſcopum, in civitate Blaſcona, qui omnium curam agerer.

Inſula

Inſula Thyle, quæ per infinitum à cæteris ſecreta, longe ſita eſt in Oceano, vix, ut inquiunt, nota habetur. De qua tam à Romanis ſcriptoribus, quam à Barbaris multa referuntur digna prædicari. Vltima, inquiunt, omnium Thyle, in qua æſtivo ſolſtitio, ſole cancri ſignum tranſeunte, nox nulla, brumali ſolſtitio proinde nullus dies. Hoc quidam ſenis menſibus fieri arbitrantur. Item Beda ſcribit, in Britannia æſtatę lucidas noctes haud dubie repromittere, ut ſi in ſolſtitio continuos dies habeant ſenis menſibus, noctesque è diverſo, ad Brumam ſole remote. Quod fieri in inſula Thyle Picteas Maſſilienſis ſcribit ſex dierum navigatione in Septentrione à Britannia diſtante. Hæc itaque Thyle nunc Iſland appellatur, à glacie quæ Oceanum aſtringit. De qua etiam hoc memorabile ferunt, quod eadem glacies ita nigra & arida videatur, propter antiquitatem, ut incenſa ardeat. Eſt autem inſula permaxima, ita ut populos intra ſe multos contineat, qui ſolo pecorum fœtu vivunt, eorumque vellere teguntur: nullæ ibi fruges, minima lignorum copia; propterea in ſubterraneis habitant ſpeluncis, tecto communi & victu & ſtrato gaudentes cum pecoribus ſuis. Itaque in ſimplicitate ſanctam vi-

tam peragentes, cum nihil amplius quę-rant quam natura concedit, læti dicere cum Apoſtolo poſſunt, habentes victum & veſtitum, his contenti ſimus. Nam & montes ſuos habent pro oppidis, & fontes pro deliciis. Beata, inquam, gens, cujus paupertati nemo invidet; & in hoc beatiſſima, quod nunc omnes induerunt Chriſtianitatem. Multa inſignia in moribus eorum, præcipue Charitas, ex qua procedit, ut inter eos omnia ſint communia, tam advenis, quam indigenis. Epiſcopum ſuum habent pro Rege, ad cujus nutum reſpicit omnis populus: quicquid ex Deo, ex ſcripturis, ex conſuetudine aliarum gentium ille conſtituit, hoc pro lege habent. De quibus noſter Metropolitanus immenſas Deo gratias retulit, quod ſuo tempore convertebantur, licet ante ſuſceptam fidem naturali quadam lege non adeo diſcordarent à noſtra Religione. Itaque petentibus illis ordinavit quendam ſanctiſſimum virum Iſleph. Qui ab eadem regione miſſus ad pontificem, aliquamdiu apud eum retentus eſt, cum ingenti prorſus honore, diſcens interea quibus noviter converſos ad Chriſtum populos ſalubriter poſſet informare. Per quem tranſmiſit Archiepiſcopus ſuos apices populo Iſlanorum & Gronlandorum,

vene-

venerabiliter eorum ſalutans Eccleſias; pollicens eis propediem ſe venturum uſque ad illos, ut gaudio ſimiliter pleno fruantur. In quibus verbis egregia, quam habuit in legatione ſua, voluntas Pontificis laudari debet, quoniam & Apoſtolum diſcimus ad prædicandum verbum Dei velle in Hiſpaniam proficiſci, quod implere non potuit. Hæc de Iſland, & de ultima Thyle veraciter comperi, fabuloſa præteriens.

Sunt autem plures aliæ in Oceano Inſulæ, quarum non minima eſt Gronland, profundius in Oceano ſita contra montes Suediæ, vel Riphæa juga. Ad quam inſulam à littore Nordmannorum ferunt vela pandi quinque aut ſeptem diebus, quemadmodum ad Iſland. Homines ibi à ſalo cærulei, unde & Regio illa nomen accepit qui ſimilem Iſlanis vitam agunt, excepto quod crudeliores ſunt, raptuque piratico remigantibus infeſti. Ad eos etiam, ſermo eſt, nuper Chriſtianitatem pervolaſſe.

Tertia eſt Halagland inſula vicinior Nordmanniæ, verum magnitudine cæteris non impar. Hæc in æſtate circa ſolſtitiũ per quatuordecim dies continuos ſolem videt ſuper terram, & in hyeme ſimiliter per totidem dies ſole caret. Stupenda res & incognita Barbaris, qui ne-

ſciunt, diſparem longitudinem dierum contingere propter ſolis acceſſum & receſſum. Nam propter rotunditatem orbis terrarum neceſſe eſt, ut ſolis circuitus accedens alibi diem exhibeat; recedens alibi noctem relinquat. qui dum aſcenderit ad æſtivale ſolſtitium, his qui in borea ſunt dies prolongat, noctesque abbreviat; deſcendens autem ad hiemale ſolſtitium, ſimili ratione facit auſtralibus. Hoc ignorantes Pagani, terram illam vocant ſanctam & beatam, quæ tale miraculum præſtat mortalibus. Itaque Rex Danorum cum multis aliis conteſtatus eſt hoc ibi contingere, ſicut in Suedia & Norvvegia, & in cæteris, quæ ibi ſunt, inſulis.

Præterea unam adhuc inſulam recitavit à multis repertam in illo Oceano, quæ dicitur VVinland, eo quod ibi vites ſponte naſcantur, vinum optimum ferentes. Nam & fruges ibi non ſeminatas abundare, non fabuloſa opinione, ſed certa Danorum comperimus relatione. Poſt quam inſulam terra nulla invenitur habitabilis in illo Oceano, ſed omnia quæ ultra ſunt glacie intolerabili ac caligine immenſa plena ſunt. Cujus rei Marcianus ita meminit: Vltra Thylem, inquiens, navigare unius diei mare concretum eſt. Tentavit hoc nuper experien-

perientiſſimus Nordmannorum Princeps Haraldus. Qui latitudinem ſeptentrionalis Oceani perſcrutatus navibus, tandem caligantibus ante ora deficientis mundi finibus, immane abyſſi barathrũ retroactis veſtigiis vix ſalvus evaſit.

Item retulit nobis beatæ memoriæ Pontifex Adalbertus, in diebus anteceſſoris ſui quoſdam nobiles de Freſia viros, cauſa pervagandi maris in Boream vela tetendiſſe, eò quod ab incolis ejus populi dicitur ab oſtio VVirrahæ fluminis directo curſu in aquilonem nullam terram occurrere, præter illud mare quod *Liberſe* dicitur. Cujus rei novitate perveſtiganda, conjurati ſodales à littore Freſonum læto celeumate ſunt progreſſi. Deinde relinquentes hinc Daniam, inde Britanniam, pervenerunt ad Orchadas. Quibus à læva dimiſſis, cum Nordmanniam in dextris haberent, longo tractu glacialem Iſland collegerunt. A quo loco maria ſulcantes in ultimum ſeptentrionis axem, poſtquam retro ſe omnes, de quibus ſupradictum eſt, inſulas viderunt, omnipotenti Deo & ſancto confeſſori VVillehado ſuam commendantes audaciam & viam, ſubito collapſi ſunt in illam tenebroſam rigentis Oceani caliginem, quæ vix oculis penetrari valeret. Et ecce inſtabilis Oceani euripus, ad ini-

tia quædam fontis ſui arcana recurrens, infelices nautas jam deſperatos, immo de morte ſola cogitantes, vehementiſſimo impetu traxit ad chaos. Hanc dicunt eſſe voraginem abyſſi, illud profundum, in quo fama eſt omnes maris recurſus, qui decreſcere videntur, abſorberi, & denuo revomi, quod fluctuatio dici ſolet. Tunc illis ſolam Dei miſericordiam implorantibus, ut animas eorum ſuſciperet, impetus ille recurrentis pelagi, quaſdam ſociorum naves abripuit, cæteras autem revomens excurſu longo ab alteris poſt terga repulit. Ita illi ab inſtanti periculo, quod oculis viderant, opportuno Dei auxilio liberati, toto niſu remorum fluctus adjuvarunt. At jam periculum caliginis evadentes, & provinciam frigoris, ad quandam inſulam altiſſimis in circuitu ſcopulis ritu oppidi munitam inſperate appulerunt. Quam viſendorum gratia locorum aggreſſi, repererunt homines in antris ſubterraneis meridiano tempore latitantes: Præ quorum foribus infinita jacebat copia vaſorum aureorum, & ejuſmodi metallorum, quæ rara mortalibus & pretioſa putantur. Itaque ſumpta parte gazarum quam ſublevare poterant, læti remiges feſtine remeant ad naves. Cum ſubito retro ſe venientes contemplati ſunt homines

mines miræ altitudinis quos noſtri Cyclopes appellant; quos antecedebant canes magnitudinem ſolitam excedentes. Quorum incurſu unus de ſociis eorum raptus eſt, & in momento coram eis laniatus; reliqui vero ſuſcepti ad naves evaſerunt, gigantibus (ut ferebant) pone in altum vociferando ſequentibus. Tali fortuna comitati Freſones Bremam perveniunt, ubi Alebrando pontifici ex ordine cuncta narrantes, pio Chriſto & Confeſſori ejus VVillehado reverſionis & ſalutis ſuæ hoſtias immolarunt.

Sunt & alia quæ non incongrue dicenda eſſent hoc loco de illo æſtu maris in die bis citato; quod miraculum præbet omnibus maximum; ita ut ipſi qui arcana rerum perſcrutantur Phyſici, in dubitationem ejus rei cadant, cujus originem ignorant. Cumque Macrobius & Beda videantur aliquid loqui, Lucanus autem ſe nihil ſcire fateatur, diverſi auctores variis pugnant ſententiis: omnes autem incertis abeunt rationibus: nobiſque ſufficit cum Propheta clamare: Quam magnificata ſunt opera tua Domine! omnia in ſapientia feciſti: impleta eſt terra poſſeſſione tua. Et iterum: Tui ſunt cœli, & tua eſt terra, & tu dominaris poteſtati maris, & judicia tua abyſſus

multa, ideoque jure dicuntur incomprehenſibilia.

Hæc ſunt quæ de natura Septentrionalium Regionum comperimus, ad honorem ſanctæ Hammaburgenſis Eccleſiæ proponenda: quam tanto munere divinæ pietatis præditam videmus, ut innumerabilem populorum multitudinem, quorum hæc Metropolis facta eſt, labore ſuæ prædicationis, ex magna jam parte converſos habeat ad Chriſtianitatem, ibi ſolummodo ponens Evangelizandi ſilentium, ubi mundus habet terminum. Quæ ſalutifera gentium legatio, primum à Sancto Anſgario inceepta, proſperis ſemper uſq; in hodiernum diem aucta eſt incrementis, uſque ad tranſitum magni Adalberti, per annos circiter ducentos quadraginta.

Ecce illa ferociſſima Danorum, ſive Nordmannorum, aut Sueonum natio, quæ, juxta beati Gregorii verba, nihil aliud ſcivit niſi barbarum frendere, jamdudum novit in Dei laudibus Alleluja reſonare. Ecce populus ille piraticus, à quo totas olim Galliarum & Germaniæ provincias legimus depopulatas, ſuis nunc finibus contentus eſt, dicens cum Apoſtolo: Non habemus manentem hic civitatem, ſed futuram inquirimus, & credimus videre bona Domini in ter-

in terra viventium. Ecce patria illa horribilis ſemper inacceſſa propter cultum Idolorum, & Scythicæ non mitior ara Dianæ, depoſito jam naturali furore, prædicatores veritatis ubique certatim admittit, deſtructiſque Dæmonum aris, Eccleſiæ paſſim eriguntur, & nomen Chriſti communi ab omnibus effertur præconio. Nimirum hæc eſt mutatio dexteræ Excelſi, & tam velociter currit ſermo Dei omnipotentis, ut à ſolis ortu & occaſu, ab aquilone & mari laudabile ſit nomen Domini, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris, cum Patre & ſancto Spiritu vivens & regnans per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

II

CHOROGRAPHICA DANIÆ deſcriptio, COMPENDIO

E Iona Coldingenſi & Pontano aliiſque excerpta.

VNiverſum Daniæ Regnum recte diſtinguitur in Continentem & Inſulas. Continentis duæ ſunt partes freto à ſe in-

vicem diviſæ, Cherſoneſus Cimbrica & Scandia. Inſulæ ſunt Fionia, Sialandia, Falſtria & plurimæ minores quæ & ab occaſu & à Borea Cherſoneſum tegunt. De quibus utriſque ordine tantum modò dicemus, quantum ad propoſitum noſtrum credemus ſufficere; neque enim hic aut antiquitates gentis indagare, aut veterum Coſmographorum rationes excutere inſtituimus; ſed hodiernam Regni hujus faciem ob oculos ponere.

Cimbrica Cherſoneſus aut Iutlandia.

CImbricæ Cherſoneſi etiam meminerunt, ejus autem longe maxima pars hodie Iutlandia ſive Iutia appellatur: cingitur ab occidenti & Arcto Oceano Germanico; ab Oriente partim Mari Balthico, partim Fionia & aliquot minoribus Inſulis; à meridie fines jungit cum Ditmarſia & Holſatia. Patet in longitudinem ab amne Leonis (vulgo Leeuvven Aa) ad extimum ipſius promontorium verſus Boream, hodie Scagen, milliaria Germanica quinquaginta & tria; in latitudinem, ubi maxime, viginti.

Dividitur hodie in Meridionalem & Borealem.

Iutlandia Meridionalis.

MEridionalis, vulgari nomine Suder-Iuthiæ, fines ſunt, ad arctum amnis

Scodburgenſis, ad occaſum Oceanus, ad ortum urbs & ager Coldingæ; ad meridiem amnis Leonis modò dictus. Patetq; ab Eidora flumine oppidoque Rensburgo, ad Coldingam in longitudinem milliaria octodecim ; latitudo inæqualis eſt, alibi tantum ſex, alibi etiam octo milliar. Complectitur autem hæc oppida.

Sleſvicum Sliæ maris potius ſinui quam amni adſitum, olim quidem ingens & potens, ob ſitus opportunitatem & mercatorum è vicinis atque adeo longinquis regionibus accurrentium frequentiam; nunc tantum tenue. Caput tamen Ducatus, & ſedes Epiſcopalis.

Eckelfurtum in peninſula ita poſitum, ut à mari ad centum uſque paſſus circumdetur; portum habet opportunum tutumque.

Flensburgum unius circiter diei itinere à *Sleſvico* verſus Boream, ad ſinum itidem Balthici maris poſitum, qui inter Sonderburgum & Holſtenlandiam ſeu Holſatiam irrumpens lato alveo, vulgo *Flenus* appellatur : inter excelſos colles, portumque habet tam altum, ut onuſtę naves tuto eò appellere poſſint, & è ſingulorum ædibus & onera accipere & in eaſdem exponere; eundemque adverſus incerta ventorum egregie munitum.

Hæc

Aër hic ſalubris; agerque omnibus rebus ad vitam neceſſariis abundans. Ædes in oppido magnificæ, ad unam præcipue plateam ſeriatim ſtructæ, quæ patet in longitudinem paſſus clↄ clↄ ccc XLI. oppido & portui imminet arx colli ſuburbano ſuperſtructa.

Haderſlebia ſeptem milliaria ſupra Flensburgum, verſus Boream; duo milliaria intra continentem ad receſſum ejuſdem nominis vulgo de Voert van Haderſleu: urbis viæ elegantes & ſpatioſæ, forum amplum. Portum habet quam plurimis navibus recipiendis accommodum & ſecurum. Arcem habuit quondam in colle poſitam, quam Ioannes Holſatiæ Comes evertit, & aliam haud procul oppido in peninſula cæpit ædificare, vulgo *Hansburgum*, addito inſigni ſacello: quam Fredericus II Daniæ Rex perfecit.

Huyſemum mari occidentali adſidet (vel potius illius ſinui qui *Heverus* appellatur) plateis, ædibus, longitudine; amplitudine, agrique bonitate Flensburgo & Haderſlebiæ pene par. Iura civitatis contulit Adolphus Holſatiæ Dux, pulcherrimamque adjecit arcem.

Ab Huyſemi agro, anguſto freto dirimitur Strandia inſula vulgo Strant, ſeſquimilliare Germanicum longa, nec multo

multo anguſtior, pluribus parochiis culta; quippe non modo piſcatura, ſed & agricultura gaudens. Cingunt aliquot minores inſulæ verſus Arctum. Ad eandem plagam duorum & ſupra milliarium intervallo, jacent aliæ duæ inſulæ cum ſuis parochiis *Voren* & *Ameren*. Et adhuc magis verſus Arctum inſula alicujus nominis, quam Dani *Silderos*, noſtrates *Silt* vocant, quæ & nonnullas paræcias complectitur, inter quas eſt *Lijloe* ſive *Liſt* longa eſt ſupra tria milliaria Germanica, haud ſupra unum lata. Adjacet verſus Arctum Inſula *Rem* ſupra duo milliaria Germanica longa, pene unum lata: Deinceps exigua inſula *Manu*; denique *Phanu* anguſta inſula, ſed tria milliaria longa. Sunt autem omnes hæ fere Ripenſi diœceſi ſubjectę, de qua mox dicemus.

Apenroa vulgo Apenrade, medio propemodum itinere inter Flensburgum & Haderſlebiam ſita, ad intimum maris receſſum.

Tonninga haud procul ab oſtio Eidoræ & ingredientibus ad lævam illius ripam ſita.

Tundarium majus & minus jacent ad occiduum littus. Supra Huyſemum verſus Boream, ad quatuor milliaria *Strandii* ſive ut vulgo *Strandfriſii* (Saxo Grãmaticus

maticus vocat *minores Friſios*) anguſti littoris occupant oram, habentque medio pene ſpatio forum elegans & bene cultum, mercatu celebre, & multis illius tractus oppidis haud impar; *Breſtedam* vocant. Vtrimque jacent duo vici more Friſico culti; quorum ſeptentrionalis *Langehorna* dicitur, Friſiæ hujus minoris terminus: abeſt à Flensburgo milliaria quatuor.

Sleſvicenſi diœceſi adjacet inſula *Alſa* exiguo intervallo à Continente diviſa, in qua *Synderburgum* inter alia viſitur, arx magnifica, in qua pluribus annis aulam tenuit, Regis Frederici II Germanus Ioannes Dux Holſatus. Ipſa Inſula mediocris eſt magnitudinis, quatuor quidem in longum, duo in latum milliaria complexa; ſinum Flensburgenſem reſpiciens; oppidum habet ejuſdem cum arce jam dicta nominis; & præterea municipia *Nordburgum, Oſterholtum, Hollam* & *Gamelgardam*; & parochias præterea tredecim admodum populoſas. Vnde aliquot armatorum millia, re id flagitante, quam promtiſſime ex illa educi poſſunt. Eſt lucis & nemoribus ſaltuoſa, propterea cervorum, aliarumque ferarum venationibus perquam opportuna; Habet & paſcua lætiſſima, agrumque ſiligini ferendæ haud inidoneum.

Iutlan-

Iutlandia Septentrionalis.

HÆc meridionalem longitudine & latitudine longè ſuperat; inſigni ſoli ubertate, & induſtria hominum ita compoſita, inque jugera & amœnos fundos diviſa, ut nihil amœnitati aut fœcunditati addi poſſe videatur. Complectitur quatuor ſedes Epiſcopales, Ripenſem, Arhuſienſem, Burglavienſem ſive Alburgenſem atque Viburgenſem: & in hiſce viginti tres civitates: de quibus ſingulatim dicemus.

Ripenſis Diœceſis.

HVjus caput *Ripa*, civitas meridionali Iutlandiæ proxima, ad ipſum Oceanum Germanicum, ſeu littus occidentale hujus provinciæ: interluit limpidiſſimus amnis *Nipſaa*, eamque diſſecat in tres partes, totidem ſubliciis pontibus junctas, & paulum infra urbem infundit ſe oceano, magno hujus urbis commodo. qua oceanum ſpectat munitiſſimum habet caſtellum. Portus diſtat ab urbe milliare unum, ad maris gremium, cui minores inſulæ objacent vulgo nautarum notiſſimæ *Mandoa* vulgo *Manu*, *Phanoa* vulgo *Phanu*, de quibus ſupra diximus, uti & de cæteris quæ paulo remotiores ſunt, *Rem, Silt,*

Voren

Voren & *Ameren*. Diœceſin rigant plurimi amnes; præcipui, *Scodburgenſis* utramque Iutlandiam diſterminans; & in illum confluens *Holſted-aa; Vardenſis*, *Carupenſis*, *Spiern-aa*; qui è parvis fontibus ad ortum emanantes, ſed plurimis torrentibus ſubinde aucti, fere in occidentalem oceanum illabuntur.

Porro diſtincta eſt Diœceſis in Nomarchias triginta, in quibus numerantur urbes præter metropolin ſex; paræciæ rurales CCLXXXII; Arces regiæ decem, Nobilium centum.

Poſt *Ripas* primum locum ſibi flagitat *Coldinga* urbs perquam amœna & uti creditur, antiqua; ex adverſo *Fioniæ*, ad Septentrionalem amnis Ripam qui utramque Iutiam ſeparat, & duobus oſtiis exit in mare Balthicum. Huic pons impoſitus viſitur, à quo toti viciniæ nomen *Broberrit* vulgo inventum: hic boves, equi, præter alias merces, in ſingula capita Regi vectigalis nomin ſolvunt dalerum imperialem, quum trans pontem ad mercatum in Holſatiam aut aliò traducuntur; unde ingens cenſus colligitur.

Vrbi imminet Arx *Arnsburgh* ab Erico VI cognomento *Glipping* quondam inchoata, à Chriſtiano verò III, qui locum hunc mire dilexit ob aëris ſalubri-

tatem

tatem & agri amœnitatem, egregie reſtaurata & perfecta.

Secundum *Weela* ſive *Wellea* ad ſinum Balthici maris poſitum oppidum, non tam amplitudine, quam platearum ædiumq; elegantia & ſymmetria nobile.

Tertium *Warda*.

Quartum *Ringcopia* uni eidemque fluento,. quod in mare occiduum exit, appoſitæ; ſed hæc Oceano proxima.

Quintum *Halſterbroa*; & denique Sextum *Lemviga* intimo pene ingentis illius ſinus Lymici gremio appoſita.

Inter Nomarchias excellit *Virungherrit*, vitarum uti videtur nomenclaturam ſervans, quorum veteres meminerunt.

Arhuſienſis Diæceſis.

RIpenſem diœceſin excipit Arhuſienſis; hujus caput eſt *Arhuſium* civitas maritima, ad oram Balthici maris ſita, & *Samſoam* inſulam è regione ſibi oppoſitam habens, in ipſo pene umbilico ſeptentrionalis hujus Iutlandiæ.

Diæceſis hæc numerat Nomarchias XXXI. civitates VII. paræcias rurales CCCIV. Arces quinque.

Rigatur ab amne *Gudio*, maximo illius tractus, & variis piſcium generibus ſupra modum fœto.

Poſt metropolim ſecundum locum

meretur *Horſneſium* atque inde *Randruſium*, vulgo *Randerſen*. Quorum hoc Borealius eſt Arhuſio, egregium oppidum ad Gudium fluvium; illud vero auſtralius; utrumque autem ſitum eſt juxta Orientale littus, & vicinum habent mare Balthicum. Eſt & *Ebeltoſia* vulgo *Ebeltud*, haud procul Randruſio littori proxima; è regione majoris Holmiæ inſulæ quæ hic objacet.

Singula autem habent ſinus maris Balthici patentes, quibus veluti gremiis è Scania & inſulis, urbibuſque Vandalicis, Suecia denique & Norvvagia, navigia & merces peregre advectas commodiſſime recipiunt.

Grimſtadium item, æſtuario éjuſdem maris adpoſitum, vel potius amni *Grimſundæ*.

Hobroam quoque vulgo *Oruntbuii* pone promontorium quod vulgo *Stevens-Hooft* vocant & juxta amnem *Grimſundam*.

Et *Mariagrum* vulgo *Mariaker*, quidam ad hanc diæceſin referunt, alii ad proxime ſequentem.

Inſulæ quæ ad hanc diæceſin referuntur, ſunt primo; *Samſoa*, piſcatu & venationibus amœna, quæ quinque parœcias numerat. Habuit olim Arcem *Battingsburgum*; ſed jam ab anno cIↃ cc

LXXXVIII

LXXXVIII. funditus everſam; & aliam *Vesburgum* nomine.

Secundo *Hielmia* priori minor, ſed loci natura admodum firma, *Ebeltoſiæ* fere è regione oppoſita & omnibus qui è ſinu Balthico Norvvagiam petunt valde opportuna; nam & portum ſitus ipſe facit & aquæ dulcis ſcaturigines habet; ac deniq; edito & lato colle è mari extans ad vim circumquaque avertendam peridonea eſt. Dicitur & *Grotholm* ad differentiam minorum holmiarum, quæ Scagano promontorio obverſantur.

Reliquæ minores, ſed proximæ adſitæ; *Thuna, Melſa, Ramſoa, Endelavia, Hiarnoa.* Quarum *Thuna* ſive *Tunna* vulgo *Tons* ab Arhuſio abeſt milliaria circiter tria; in longitudinem vix unum patens, unicam habet parochiam. Inter eam & *Sanſoam*, ordinarius eſt nautarum curſus in Norvvagiam tendentium. Habetque Kithholmiam & Iordholmiã ſibi quam proxime adſitas.

Nec longe inde in ipſis faucibus Horſenſis ſinus tres jacent inſulæ *Arroa, Gernoa, Worſia.*

Eſt & *Endela* vulgo Endelau milliare longa, medium lata; unicam habens parochialem Eccleſiam, cæterum ſilvis & lucis opaca.

Inter arces eminet *Scanderburgum* à

pulchritudine & amœnitate ſic dictum; ſitum ad amnem Gudium, qui longo flexu per amœniſſima territoria in Balthicum mare deſcendit, alias præterea regias arces adlambens; atque etiam monaſteria, inter quæ præcipuum & nobiliſſimum Cænobium *Emecloſter*, quod ſaltus ſuos ac venationes habet ampliſſimoſque reditus è vicinis præfecturis.

Burglavienſis ſive Alburgenſis diœceſis.

A Rhuſienſi ad eorum vicina eſt Alburgenſis diæceſis, cujus caput eſt *Alburgum*, urbs ad Lymicum ſinum circiter tria milliaria à mari, loco admodum opportuno collocata, quinquaginta ſeptem gradibus & quatuor ſcrupulis ab Æquatore verſus Arctum. Complectitur autem hæc diæceſis, Nomarchias tredecim, civitates ſex, paræcias rurales CLXXX vel ut alii 167. Arces Nobilium centum.

Inter Nomarchias ſeu partes hujus diæceſeos illuſtriores, prima eſt *Venſilia* quam Saxo Grammaticus *Vendecam*, Lætus *Venſoliam*, Vitfeldius *Vendelboam* appellat; olim & *Burgla* dicta, unde hæc diæceſis quondam Burglavienſis vel Borglumienſis nominabatur. Oppidum *Venſyſſel* appellatur vulgo, quod amnem influentem habet, vulgo *Ry-aa* qui

qui in Lymicum ſinum ſe exonerat.

Quia autem jam ſæpius Lymici ſinus mentio facta eſt, Notandum eſt ſinum hunc, vulgo *Lymford*, poſtquam è Balthico mari in hanc Iutiæ partem irrupit, haud longe ab Alburgo, anguſtiore primum alveo, mox vaſtiore in continentem penetrare, plures inſulas, inſignesque peninſulas efficere, de quibus ſuo ordine dicetur, & verſus Africum deflectendo, pene ad alterum mare pervadere & hanc partem à reliquo Iutiæ corpore fere abſcindere.

Porro hic *Venſilia* tractus longiſſime patet, pertinet enim à Lymico jam dicto ad promontorium uſq;Scagenſe milliaria circiter quatuordecim.

Complectiturque Nomarchias ſex, Eccleſias parochiales ſeptuaginta, arcem unam *Selſtrupiam*; oppida præter venſiliam tria, *Sebyiam*, *Hieringium* & *Scagam*. Quorum *Sebyia* vulgo *Sebey* ad mare Balthicum jacet; Hieringium vulgo *Horring* ad Germanicum ex adverſo Norvvagiæ. *Scaga* ad extimum terræ cornu.

Secunda Hanmarchia vulgo *Hanherret* patens in longitudinem quidem circiter quinque milliaria Germanica,in latitudinem autem duo.Sita interThyam,

amne dividitur, qui ad Africum labens in Lymicum ſinum evolvitur. Complectiturque parochiales Eccleſias ſupra viginti; in quarum una, quæ Danis *Liden Sogen* dicitur, viſendæ altitudinis rupes conſurgit, vulgo *Skarring Klinth.* Sunt præterea his in oris periculoſæ ſyrtes, undis opertæ, quas indigenæ *Sandoras* & *Bragas* vocant. Viſuntur & inſulæ nonnullæ ut *Oelandia* & *Opeholmia.*

Tertia *Thya* Hanmarchiæ proxima, ora ac veluti margo Continentis, quæ Lymici ſinus incurſum obicis inſtar à mari Germanico ſeu occiduo coërcet. Fœcunda provinciola, & piſcatura imprimis dives ob inſignem utrimque piſcandi opportunitatem. Diſtincta eſt in Nomarchias quatuor, quæ quinquaginta & ſex parochias rurales continent. In earum convallibus, imbrium rivi reſtagnantes, complures lacus & piſcoſa ſtagna efficiunt quatuor ſupra quadraginta. Oppidum habet unicum *Thyſtadium*, ubi Chriſtianus III Scholam juventuti primus conſtituit. Arcem item unam *Orumnam.* Item *Veſtervigam*, pervetuſtum cœnobium, in quo ſepulta jacet regia puella, vulgo *Liden Kierſten* dicta Danicis rythmis & odis ob pulchritudinem & virtutem decantata. In Nomarchia hujus tractus, quæ *Hillesharret* dicitur

dicitur, templum *Hanſtadium* limes eſt inter ſinum & Oceanum Germanicum.

Inſularum quæ per Lymicum ſinum ſparguntur & ad hanc præfecturam pertinent, prima eſt *Hansholmia*, unum milliare longa, inter duos rapidiſſimos amnes ſita, & tribus paræciis habitata. Secunda *Oſtholmia* rotunda ſitu & totidem parochiis culta.

Tertia *Iegena* quæ unam tantum habet paræciam. Quibus accedunt *Livolandia*, *Egholmia* & denique *Bodumna* quæ tamen non inſula ſed peninſula eſt & unicam habet paræciam.

Quarta *Morſingia* omnium inſularum quæ in freto Lymico jacent maxima & opulentiſſima; quippe in longitudinem quatuor milliaria Germanica patens, in latitudinem duo inter ortum & occaſum. Ad illam quinq; locis trajicitur. Nomarchias continet tres; paræcias rurales undetriginta: in parte inſulæ auſtrali Arx *Lundſlot* antiquitus fuit. Vnica illi civitas *Nicopia* vulgo *Nykiobing*, diſtans ab æquatore verſus Arctum gradus ſex & quinquaginta Scrupul. 50. ſubeſt ipſi inſula unica *Aggeroa*. Amnem habet non ignobilem *Scarm-aa* & duo ſtagna.

Morſingiæ vicina eſt *Tyrholmia*; inter hanc & continentem meridiem verſus

ſus eſt *Othéſunda* fretum; ab Ottone Imperatore & ejus huc uſque acceſſu ſic nuncupatum: eſt & *Otby* pagus in ipſa inſula ad memoriam memorabilis illius expeditionis ita dictus.

Nomarchia *Kiarharret* inter alios amnem habet non ignobilem, qui vulgo *Ry-aa* dicitur, & præfecturam Huytbuyam ab Hannamarchia dividens, ad Africum defluit in Lymicum Sinum.

In Nomarchia *Vennebergenſi* plures quidem ſunt amnes, ſed iſti illuſtriores, *Livers-aa* ex monte prope Vennebergam profluens; & *Yll-aa* qui ad orientem haud procul ab Hieringio orditur.

Vlterior præfectura verſus Septentriones, à cornu *Horns-harret* appellata, patet in longitudinem ſeptem milliaria Germanica; hic mons cernitur, vulgo *Asberg*, in quo monumenta Gigantum extare volunt.

Paræcia *Raaberga* duo ſtagna poſſidet; & *Ellinga* tres inſulas minores in mari orientali ſitas oſtentat, *Grisholmiam, Hertzholmiam* & *Tydskholmiam*; quas piſcatores occupant.

Viburgenſis Diœceſis.

IAcet hæc diœceſis cis Lymicum ſinum pateтque in longitudinem ab ortu in occaſum milliaria germanica duodecim. Comprehenduntur illâ Nomarchiæ

ſedecim:

ſedecim: tres civitates & totidem arces; deniq; parœciæ rurales ducentę & XVIII.

Vrbium prima eſt *Viburgum*, ubi & ſedes Epiſcopi & celebre Canonicorum collegium; ibidem & nobiliſſimi & in jure dicundo exercitatiſſimi Triumviri toto anni curſu, exceptis feriis quibuſdam, jus dicunt; ad quorum tribunal univerſæ hujus Cherſoneſi Cimbricæ ſive Iutlandiæ controverſiæ de finibus, hæreditatibus, &c. itemq; graviora crimina, cædes, adulteria, furta ſimiliaque deferuntur per appellationem ab inferioribus præfectis, qui in ſingulis Nomarchiis jus dicunt.

Reliqua hujus diœceſeos oppida ſunt Niba & Scheva. Freta memoratu digna continet, Sallingicũ vulgo *Sallingſundt*: Virkenum vulgo *Virckeſundt*: Hualperium *Hualpſundt*: Seberum *Seberſundt*; & denique Ottonis, de quo ſupra.

Amnes fundit decem, quorum celeberrimus & maximus eſt *Gudius* vulgo *Gudden-aa*.

Inter reliquas hujus diœceſeos partes latiſſimè patet fertiliſſima peninſula *Sallingia*, Lymico fere undequaq; circumdata & diœceſi Vendelboenſi ad ortum objecta. Dividitur in Nomarchias quatuor, quę triginta parœcias rurales complectuntur.

Hæc peninſula generoſiſſimos equos nutrit magno numero, quos exteri avide appetunt, & magno precio emtos longo agmine aliò venales educunt.

Viburgenſis prçterea Capituli jurisdictionem agnoſcit *Leſſoa* inſula, vulgo *Leſon*, continenti Iutlandiæ in mari Balthico oppoſita, intervallo quinque circiter milliarium verſus ortum. Hæc quibuſdam Gleſſaria inſula dicitur, cujus in littore Iutiæ adverſo ſuccinum reperiri volunt: Eccleſias complectitur tres, quarum una turrita, veluti pharus à prætemavigantibus, ad vitanda diſcrimina, ſtudioſe ſolet obſervari; eſt enim hçc inſula multis brevibus, rupibus & Syrtibus incincta, ad varias plagas, neque ſtationem habet ſatis commodam, niſi ſub latere quod Arctum adſpicit.

Spectat & huc Inſula *Fafferland* inter Thyam & Sallingiam (de quibus ſupra) poſita & à pulchritudine ſic dicta, utpote ſylvis ſuperba & anguillarum copioſa piſcatura celebris.

In eodem Balthico mari præter Leſſoam jam memoratam, jacent *Nidingum* ſcopulus verius quam inſula; & prçter *Holmias* Aurigarii tres minores atq; *Haſelinam*, quæ diſtat à Promontorio *Kol* (de quo mox) verſus Africum milliaria ſex; ab *Anholta* verſus meridiem

octo;

octo; ad latus quod arctum ſpectat, brevibus contaminata, ad auſtrum ſtatim haud inidonea; præter has, inquam, alicujus nominis *Anholta* vulgo *Anout*, tribus eccleſiis inſignis, ſed ob cæca & ſub fluctibus latentia vada non minus quam præcedentes naucleris præcipue vitanda: diſtat autem à Leſſoa plus minus milliaria ſex, à Nidingo circiter octo.

Quàm vero hæ inſulæ navigantibus inſidioſæ & naufragiis ſint infames, indicat proverbium vulgo inter nautas jactatum,

Laſſoe/ Nidung vnd Anholt/
Maecken dat menigh Stuyrman niet wert oldt.

Id eſt,

Leſſoa, Nidung atque Anholtium inſulæ,
Sunt cauſa multi ne ſeneſcant Navitæ.

Sed nunc ad majores inſulas nos convertamus, inter Iutiam & Scaniam medias. Inter quas *Fionia* & *Selandia* primo cenſentur loco; ſecundo *Falſtria Lalandiaque* cum adjacentibus, de quibus ordine dicemus.

Fionia Inſula.

F*Ionia* vulgo *Funen* à pulchritudine ut volunt; hanc à Iutiæ continente, maris Balthici incurſus anguſto quaſi porthmo,

porthmo, ſed vehementi ac violento fragore,prçſertim prope *Midderfurtum*, ſejungit.

Dividitur in præfecturas viginti quatuor, complectiturque civitates octo; paræcias rurales ducentas & ſexaginta quatuor; arces regias quatuor; Nobilium ſex;& totidé monaſteria,ſtagna piſcoſa, exceptis piſcinis manufactis, octo ſupra octuaginta. Longior eſt quàm lata pene triangulari forma; nam latus illius quod meridiem ſpectat pene rectum præter pauca promontoria & ad decem pene milliaria eſt longum: reliqua duo latera quæ occidentem & orientem ſpectant, faſtigiantur in obtuſum conum juxta promontoriũ vulgo *Funes hooft*, ſuntque multis promontoriis & ſinubus lancinata; cæterum haud pauciora milliaria longa quam meridionale. Longitudo Inſulæ inter ortum & occaſum maxima & decem aut paulo plurium milliarium german. latitudo tantum octo aut circiter.

In ejus propemodum meditullio jacet Metropolis *Ottonia* vulgo *Ottenſche*, urbs Epiſcopalis; Adamo Bremenſi *Odanſe civitas magna*; inſulæ univerſæ emporium celeberrimum. In quo circa feſtum Epiphaniæ, omnium propemodum indigenarum & præſertim nobilium

lium conventus celebrari ſolet, qualis in Holſatia Chilonii. Templis ornatur duobus, elegantis ſtructuræ, quorum alterum Canuto, alterum Franciſco ſacrum eſt. Circa illud patet Forum inſigni amplitudine.

Circa hanc metropolin, veluti centrum, reliquæ civitates, æquali propemodum intervallo, ita ſunt poſitæ ad maris circumflui littus, ut portuum, ſituſq; opportunitate negotiationes ſuas non ſolum in mari Balthico, verum etiam per Sueciam, Norvvagiam, Ruſſiam, Germaniam & Belgium latè queant exercere.

Reliqua oppida ſunt Neoburgũ vulgo *Nyburg* è regione Selandiæ ſitum ad gremium ſinus, quẽ promontorium oblongum vulgo *Knutshooft*, tegit; portum habet valdè commodum; nam ad ipſam oram mare ita altum eſt ut naves nullo pene negotio onera accipiant & exponant. Vnde hodie Regis prætoria navis ut plurimum hic ſtationem habet, cujus inter cætera eſt operam dare ut navigia minora, quibus minus periculi eſt ab inſulis & locis vadoſis, quæque ex Holſatia & Lubeca aliiſque vicinis regionibus ſolvunt & ſubinde quoq; mercimoniorum gratia ad urbes Balthici hujus ſinus aliunde appellunt, ut illa

inquam

inquam vectigal Regi debitum Neoburgi perſolvant. Fuit alias hæc civitas Regis & Parlamenti Danici ſedes. Denique ex illa in Selandiam ut plurimum trajicitur.

Huic vicina eſt verſus Boream, fere trium milliarium intervallo *Cartemunda*, ad receſſum alterius ſinus ſita, egregia urbs & ſitu opportuno, ſed alveus minus altus eſt & ad ſummum ſex ſeptemve palmos.

Tertium oppidum eſt Suineburgum vulgo *Svvynburg* ad orientalem pene Inſulæ angulum ſitum prope littus pene quinque milliaria à Neoburgo, ex adverſo inſulæ Taſſingæ, de qua mox.

Quartum eſt Foburgum vulgo *Woburg* ad meridionale inſulæ latus ſitum, juxta ſinum qui ab aliquot minoribus inſulis veluti clauditur; tria milliaria à Suineburgo.

Quintum eſt Aſneſum vulgo *Aſçens*, ad idem latus, è regione Alſæ inſulæ, ſed ſatis longo intervallo.

Sextum Bounſonia vulgo *Boens* ad boreale inſulæ littus, pene tribus milliaribus à Metropoli.

Septimum denique Middelfurtum vulgo *Milbar*, ad intimum & ſinuoſum ductum freti, quod inſulam à Continenti Iutlandiæ disjungit.

Regiæ

Regiæ arces in hac Inſula ſunt *Neuburgũ, Hagenſchova, Hinsgagela, Eſcheburgum*; & prædium regium *Rugardia.*

Ad Epiſcopatum præterea Fionenſem ſpectant perplurimæ inſulæ minores, quarum pleræque habitantur: quarum illuſtriores ſunt *Langelandia*, *Lalandia, Falſtria*, *Taſinga, Arria*, de quibus pauca dicemus.

Langelandia.

L*Angelandia* à longitudine ſic dicta, quum ſex aut ſeptem milliaria germanica in longitudinem, duo tantum in latitudinem pateat. Diſtat à promontorio Fioniæ quod *Knutshooft* appellari diximus, milliaria tria verſus Eurum. Complectitur paræcias rurales ſedecim. Habet & regiam arcem probe munitam *Tranekeram*: & nobilium prædia multa: Oppidi vicem præſtare poteſt *Rutcopia* vulgo Rutkopeng ad latus illius occidentale ſita. Ad latus ſeu cornu illius boreale adjacent inſulæ parvæ quæ vulgo *de Friſſel* appellantur, undiquaque vadis & rupibus obſitæ.

Lalandia.

L*alandia* vulgo *Lalandt*, ab humili ſuo ſitu ita dicta: frumentorum perquam ferax; patet in longitudinem milliaria octo, in latitudinem, ubi maxime, quinque, nam ad ortum valde angu-

anguſtatur. Separatur à Langelandia, quam ad occaſum deſpicit, ſatis lato freto; à Selandia autem, quam ad arctum habet, anguſtiori Golberſundā vulgo *Golberſondt*; à Falſtria itidem, quam ad ortum objectam habet, exiguo ejuſdem freti trajectu; ad meridiem lato freto à Megapolenſi ducatu & Roſtochio, VViſmariaque disjungitur: ab Inſula denique Femeren diſtat milliaria quinque.

In hac præter vicos & rurales parochias complures, quatuor ſunt oppida, *Maſcovia*, *Saxcopia*, *Aelholmia* & *Roobya*, Maſcovia vulgo *Maſcou* jacet ad occidentale Inſulæ latus & veluti baſin illius, è regione Langelandiæ, juxta ſinum qui pene milliare unum in terram irrumpit.

Saxcopia vulgo *Saſcopeng* ad boreale inſulæ latus ſita & fretum *Golberſondt* è regione Falſtriæ.

Aelholmia vulgo *Aelholm*, ſita eſt fere ad extremum hujus inſulæ cornu verſus ortum.

Robya vulgo *Roobuy* fere in medio lateris meridionalis; toti autem illi lateri objacet arenarum pulvillus, quem vulgo *Roode ſand* vocant; pone quem utraque hæc urbs ſtationem navibus præbet.

Habet

Habet & nobile monaſterium *Mariobœam*; præter arces & Nobilium prædia permulta; olim ducatus titulo fuit inſignis.

Falſtria.

FAlſtria vulgo *Falſter*, Lalandiæ ad ortum proxima & tantum anguſto Golberſundæ freto ab illa diviſa; patet in longitudinem milliaria quatuor; in latitudinem juxta baſin (nam veluti in conum anguſtatur) tantum duo. Ejus promontorium, quod *Geſter* vocant, vergens verſus Eurum, vadum habet objectum, quod ad duo pene milliaria exit in altum, navigantibus caute vitandum.

Oppida duo, regiaſque arces *Nikopiam* & *Stubbekopiam* complectitur, quarum hæc ad Golberſundam è regione Lalandiæ ſita eſt; illa vero ad Groenſundam.

Ex hac frequens in Germaniam trajectus eſt, juxta Regis prædium, pagumque cui nomen eſt *Geſter*: diſtans à Varnemunda pago infra Roſtochium circiter ſeptem milliaria Germanica.

Taſſinga.

TAſſinga vulgo *Taſſingh*, inter Fioniam & Langelandiam interjecta, è regione Suinoburgi; vix milliare longa & valde anguſta; diſtat à Promon-

torio *Knutshooft* tria milliaria verſus Auſtrum.

Aria.

ARia vulgo *Arr* à Fionia verſus meridiem, à Langelandia verſus occaſum; à quibus fere pari diſtat intervallo; ab Alſa verſus ortum, intervallo duorum milliarium. Oblonga inſula, ſed admodum anguſta: in qua tamen viſitur arx & oppidulum haud ignobile *Kopinga*: præter tres rurales paræcias & aliquot Nobilium prædia. Amœniſſima enim eſt inſula & ob nemora venationibus perquam opportuna.

SELANDIA.

S*Elandia* omnium hujus Regni inſularum maxima atque amœniſſima: ad occaſum ſpectat Fioniam: ad meridiem Lalandiam & Falſtriam atq; Monam: ad orientem Scaniæ continentem, ad Arctum Balthicum mare. Patet in longitudinẽ milliaria germanica octodecim, in latitudinem duodecim; formæ pene ovalis. Cõplectitur hodie civitates tredecim maxime celebres, Haffniam, Helſingoram, Roshildiam, Coagium, Neſtvedam, Callumburgum, Slangendorpium, Sreſtoam, Slagoſam, Corſoram, Scielſoram, Holbekam. Paræcias rurales perplures, in quibus trecentæ quadra-

quadraginta ſeptem tẽplis egregie conſtructis ſunt ornatæ.

Vrbium omnium in mediterraneis præcipua & olim maxima fuit *Roſchildia* à *Roe* Rege ut volunt & *Kille*, id eſt, fonte, qui ibidem è loco nonnihil editiore ſcaturiens, ſuo decurſu rotas molendinorum ſeptem propellit, ſic denominata. E regione Haſelinæ inſulæ, cujus ſupra meminimus, ampliſſimum fretum ſeu ſinus maris in Selandiam irrumpit, qui ſtatim poſt ingreſſum ſeſe divaricat in tria veluti brachia, quorum prius *Roskilds fiourd* dictum, tendit verſus Eurum ſeu S. S. O. & pertingit ad Roſcildiam: alterum, vulgo *Iſenfiourd*, tendit verſus meridiem & pertingit ad *Iſicbyam* & *Holbecam* inter circiter duo milliaria latum, inſulam ſatis magnam circumfluens: Tertium tendit verſus Africum, & *Draecholmiam*.

Porro *Roſchildia* fuit olim non modo regni univerſi metropolis, vel ut habet Adamus Bremenſis, ſedes regia Danorum: ſed Diœceſeos quoq; totius Selandiæ caput: quã primus inſtituit Sueno, Suenotho dict⁹, Haraldi filius, Daniç, Norvvagiæ Angliæque Rex, ordinato Epiſcopo Gerebrando ſub annum Chrſti 1012. Muro deinde cinxit Sueon Gra-

 theden-

thedéſis, additis propugnaculis & foſſa, ſeculo integro pòſt: & antea Haraldus Suenothonis parens, ſacellũ ibi ſumtuoſiſſimum exędificavit, quo & ipſe conditus fuit & filius illius Suenotho. Hodie quoq; Regum Mauſoleis illuſtris eſt locus, Chriſtiani III & Frederici II inſigni opere elaborata buſta oſtentans. Aliâs quoq; urbis celebritatem, magnificentiam atque antiquitatem delubra permulta diruta, tum & rudera regiarũ & monaſteriorum ſatis arguunt. Eſtq; hodie loci commoditate, doctorum virorũ collegio, frequentiaq; imprimis celebris.

Hafnia ad orientale inſulæ latus poſita, maris Balthici ſinu alluitur. Adjacens enim quam proxime,

Amaga inſula portum efficit incredibili commoditate ex loci natura celebrem. Hæc quippe ad orientem in Balthicum mare ad ſtadia circiter quatuor excurrẽs vadoſis & perpetuis arenis impetum fluctuoſiſſimi maris retũdit; quo fit ut inter dictam inſulam & agrum Hafnienſem orientalem, ad paſſus quingentos tuta concedatur navibus ſtatio. Crevit oppidum à parvis initiis, nam primum *Axillus vidus* (quem Saxo Abſalonem vocat) cognomento *Snare*, munitionem quandam magnis ſumtibus extruxit in ea inſula, in qua nunc

Haf-

Hafnienſis Arx eſt, cui à ſuo nomine *Axelhuys* nomen indidit, ut eò melius locus adverſus pyratas defendi poſſet. Antea *Stegelburgum* appellatū volunt. Deinde quum non modo piſcatorum caſis, ſed & mercatorum ædibus locus auctus eſſet, *Kiobmanshaven*, id eſt, mercatorum portus cæpit appellari, unde hodieque Danis *Kiobenhaun* & à Germanis *Kopenhaven* vulgo nominatur; & latinis decurtato nomine *Hafnia*. Exinde perpetuò crevit, & ampliſſimis ſæpe privilegiis, atque ultimò Academia fuit ornata. Noſtro quoque ævo, quanta ei ornamenta acceſſerint, largâ Chriſtiani IV regum Maximi beneficentiâ, oſtendunt paſſim pomœria oppidi ampliata, propugnacula addita, & regium Armamentarium, cujus Europa vix ſimile habet, ſive machinas & omnis generis inſtrumenta bellica ſpectes, ſive loci commoditatem & ad bellum gerendum ea terra mariq; educendi opportunitatem. Quibus accedunt, in uſum mercatorum conſtructus ſublicius pons & Burſa illi adjuncta. Quorum pons ita eſt adaptatus, ut proximam Amagiæ inſulam, novamque in illa oppidi partem cum veteri connectat: parte vero ejuſdem pontis elevata, ſubire per eundem onerariæ naves poſ-

ſunt ad Arcem & Armamentarium.
Primarium urbis templum D.Mariæ ſacrum eſt, in eo ſacrantur & coronantur Reges: aliud eſt Spiritus Sancti: Tertium D. Nicolai, portui vicinum: quartum in Arce; quintum D. Petri, quod magnis impenſis à Frederico II inſtauratum ut in eo Germani ſacros conventus haberent. Eſt & Regium viridarium extra portam borealem amœniſſimum, opere artificioſo jam nuper adornatum, addito magnifico prædio.

Præcipuum autem urbis ac totius Regni ornamentum eſt Academia, cujus inſtituendæ facultatem Rex Ericus IX Pomeranus, à Martino V Papa impetravit:ipſe tamen tantum fundamenta jecit, perpetuis pene bellis impeditus: Chriſtianus autem I. Oldenburgicus permiſſu Sixti P. eam ad optatum finem perduxit, anno cIↄ cccc LXXVIII impetratis ab ipſo privilegiis Academiæ Bononienſis. Erectionem confirmavit Ioannes, qui etiam nova fundatione Scholam ſtabilivit anno cIↄ cccc. xc VIII. Chriſtianus tertius eam profeſſoribus auxit, additis etiam reditibus annuis, quibus xx ſtudioſi alerentur. Tandem vero Fredericus II ad alumnos ſuperiores addidit alios LXXX, proventuſque Scholæ munifica largitione auxit

&

& ſalaria Profeſſorum adjectis opimis reditibus unctiora fecit.

Amaga autem inſula vel *Amagria* vulgo *Amagh* urbi adjacet ab oriente; ſex millia paſſuum longa, quatuor lata; longe fœcundiſſima & venationibus præſertim leporum opportuna. In hac duæ ſunt paræciæ, una vetus hominum indigenarum; altera Hollandenſium, eò ante ſeculum, adjuvante ſorore Caroli V. Imperatoris & Chriſtiani II Regis Daniæ conjuge, traductorum. Qui urbem frequentiſſimam annona & maxime butyro, caſeo, ſero, lacte & ſimilibus, copioſe & ad morem gentis ſuæ indies foro publico ſublevant; ita ut hæc inſula Hafnienſium penu dici poſſit. Reperio denique hanc inſulam à nautis *Draeker* appellari.

Ab Haffnia littus legentibus verſus Arctum, milliaria Germanica quinque, occurrit *Helſingora* vulgo *Elſeneur*, urbs littoralis & freto Oreſundæ, vulgo *de Sondt*, omnibus Europæis nautis & mercatorib⁹ notiſſimo, appoſita. Quam hactenus muris deſtitutam incingi jam pridem mœnibus luculenter curavit Chriſtianus IV Rex. Cujus parens Fredericus II laudatiſſimæ memoriæ, jam antè maximum urbi præſidium & ornamentum addiderat, exſtructo Cro-

neburgo, arce omnium quotquot in Dania ſunt, munitiſſima, ſitu & opere adeo mirabili, ut inter inexpugnabiles cenſeatur. Eſt enim tanta operis firmitate, idque maximis & innumeris undique comportatis ſaxis, interque compacta & fiſtucata robora concluſis, ac loco fundamenti ſtabilitis, firmatiſque ex ipſo maris fundo in eum modũ educta, ut immanes pelagi fluctus, horrendo interdũ boatu illi impingentes minimè metuat: Eſtque prçterea univerſũ opus ſingulari ſymmetria exactum, intus magnificis conclavibus, cubiculis, porticibus ornatum; quorum omnium maximum conclave Reges Daniæ, tapetis intextos repræſentat. Tecta cupreis ſunt obducta laminis. Muri circumquaque lapide cæſo, quem Inſula Daniæ Gotlandia ſuppeditat, affabre expoliti: ſuntque paſſim circum mœnia in pluteis ænea tormenta, aliæque grandiores machinæ & colubri ad introitum aut egreſſum navium, ubi opus fuerit, inhibendum; ita diſpoſita inque promtu omnia, ut ſimilem munitionum apparatum vix alibi reperias.

Per fretum autem quod Oreſundam appellant, omnia majora navigia totius Europæ, quæ commerciorum gratia in Suevicum ſive orientale mare properant

rant, aut inde redeunt, coguntur tranſire: arcemque Cronenburgum, uti ſedem regiam, ſuppari dimiſſione cohoneſtare ac velis mox omnibus demiſſis, jactaque anchora, in terram exſcendere, ac debitum Regi teloneum collectoribus ad id in urbe Helſingora à Regia Majeſtate conſtitutis pendere. Qui ſecus faxit, amiſſionem bonorum incurrit. Minora autem navigia licet per Balthicum ſinum, vulgo *de Belt*, inter Selandiam & Iutiam navigationem inſtituant, tamen & hæc Neoburgi teloneum coguntur ſolvere.

Ex adverſo urbis duorũ circiter milliarium intervallo ſita eſt inſula *Huena* vulgo *Ween*: habens in circuitu 8160 paſſ. majores, qui duo quaſi milliaria germanica æquant, latitudo haud ſupra ſeſqui milliare. Et licet edita, altaque ſit, ſuperius tamen in æqualem planiciem ſternitur, nullibi ſcopuloſa aut deformis; ferax optimarum frugum; abundans jumentis; damas, lepores, cuniculos, perdiceſque alens magna copia: ita ut nulla pene illius pars aut cultura aut utilitate vacet. Piſcium quoque capturæ circumquaque peropportuna. Situs tanta eſt opportunitas & tanta proſpectus undique amœnitas, ut nihil jucundius deſignari poſſe videatur, nam

& regiam arcem, de qua modo, & Helſingoram, naviumque innumerarum ultro citroque commeantium copiam ad Corum proſpicit, & Elſinburgum ad Septentriones: ad Eurum Landiſcronium & totam illam oram ſatis, arboribuſque amœniſſimam. Plenius & accuratius hæc fuit deſignata à Tychone Brahe viro Nobiliſſimo, & Mathematices, præſertim Aſtrologiæ peritiſſimo, qui liberalitate Frederici II Daniæ R. hanc adeptus & arce pulcherrima Vranoburgo & aliis operibus illam ornavit.

Diſtat itidem ab eodem oppido Helſingora, tertio circiter lapide Arx regia *Frederichsburgum* à conditore Frederico II ſic appellata; ante enim *Ebelholtum* dicebatur, cœnobium ſancto paracleto ſacrum: Hermelaus autem Trolle, equeſtris ordinis vir & rerum maritimarum in bello quod contra Suecum geſtum eſt ſummus præfectus, amœnitate loci captus, arcem primò tenuem moliri cæperat, quam poſtea Fredericus II exquiſitiſſimo opere perfecit & coronæ adjunxit; licet Chriſtianus IV Daniæ R. merito ſupremam manum adjeciſſe dicendus ſit, qui advocatis undique præſtantiſſimis artificibus, eam intus & extra variis ſtatuarum & picturarum ornamentis elegantiſſimè ornavit. Di-

ſtat

ſtat pari pene intervallo ab Helſingora & Hafnia.

Ringhſtadium vulgo *Ringſtede* proximum antiquitatis nomine locum meretur poſt Roſchildiam; licet vetuſtate ſua pene obſoleverit, in inſulæ meditullio poſitum. Nam & hic multa veterum Regum & Reginarum monumenta oſtentantur.

Slangendorpium olim tantum villa ruralis, nunc oppidum ad Roſchildenſem ſinum.

Callenburgum, quod à Saxone *Kallunda* vocatur, primum anno 1158 aut 1171 ab Esbarno Snareo, Abſolonis Epiſcopi fratre germano, in oppidi formam redactum, addita arce, temploque inſignis ſtructuræ; quum antea ob ſinum maris, qui & commodum portum præbet, piſcatorum tantum ſtatio eſſet; ſitum eſt oppidum ad occidentale inſulæ latus, è regione Cartmundæ in Fionia.

Slagoſæ vulgo *Slages* Saxo meminit aliquoties; ad idem latus occidentale ſitum eſt oppidum; cui in propinquo adſita eſt arx *Anderſchova*, in qua Fredericus II diem obiit.

Corſora ſive *Korſor* aut *Caſſeur*, ad eandem plagam ſitum oppidum, cum arce Regia illi adjuncta, ex adverſo

Neo-

... burgi in Fionia; inſignem habet portum & ita altum ut naves onera ex ædibus facile accipiant.

Schelſora vulgo *Chelſeur* ad latus inſulæ quod peculiariter Balthicũ mare & Eurũ reſpicit & arctoumLalãdiæ cornu.

Neſtveda vulgo *Neſtvvede*, ad latus inſulæ meridionale & fretũ quod hanc inſulam à Lalandia dividit juxta parvum illius ſinum.

Preſtoa vulgo *Preſtoe*, à præcedenti oppido verſus ortum, locus haud inamœnus, declivis paulum, ac ſinu maris non admodum lato veluti amne circumfluus, lucoſque ac colles nemoroſos circumquaque proſpectans.

Ei objacet Inſula *Mona* vulgo *Meun* candidis cretæ montibus late inOceano conſpicua,urbem habens unã quæ*Stega* dicitur vulgo *Stegh*, ad vadoſum ejuſdem ſinum ſitam,qui Corum reſpicit,& parochias aliquot rurales, itemq; arcem regiam *Elmelundam*. Inſulam autem hanc dividit à Falſtria, viride fretum vulgo *Groenſund*: à Selandia Luporum fretum vulgo *'t Wolvengat*.

Coagium vulgo *Coege* & noſtratibus etiam *Kuygh* oppidum haudadmodum amplum, ſed hodie bene munitum, & negotiatione præſertim frumentaria florens; poſitum eſt ad orientale inſulæ

latus,

latus, quarto circiter lapide ab Hafnia verſus meridiem. Ejus ſitum atque ſoli juxta ubertatem & amœnitatem ita deſcripſit *Veſthovius*.

Fluctibus arctoi ſat bella Coagia ponti
Alluor, hinc campus ſubjacet, inde nemus.
Quæ ſylvæ utilitas, agri emolumenta fretique
Commoda ſunt, meus hæc omnia civis habet.
Dat glandes & ligna nemus, dat paſcua campus,
Piſcibus & variis mercibus unda beat.

Nicopia ſita eſt ad boreale Inſulæ latus, in territorio vulgo *Oſtherrit* dicto (Saxo *Oddam* provinciam nominat) frugum abundantia aliiſque mercibus celebris.

Holbeca ad eandem plagam aſſidet ſinui maris vulgo *Iſefiord*, cujus alterum veluti brachium petit Roſchildam; ſuam ſeorſim arcem habens.

In hac inſula præter arces jam dictas, eſt etiam *Sora*; non tam arx, quam regium cœnobium; loco amœniſſimo, haud procul à Ringſtadio, inter ſilvas poſitum: habens inſuper lacum dulcis aquæ proximè alluentem, qui varii generis piſcibus abũdat. Cujus cænobii Abſolon Vidus Archiepiſcopus Lundẽſis & Germanus illius Esbernus, ante quinque prope-

propemodum ſecula fuere conditores; quorum hic pagos quatuordecim illi contulit, variaque ædificia adjunxit & aream; hodie Regni peculium eſt; nec multi ſunt anni, quum Rex Fredericus II regiam Nobilitatis Scholam, quam ante Frederichburgi inſtituerat, ad hocce cœnobium, uti multo opportunius, traduxit: auctis quum docentium, tum diſcentium numero annuiſque reditibus. Et optimi parentis inſtituto inſiſtens Chriſtianus IV nuperrimè eidem Scholæ adjecit publicos Profeſſores, qui non modo nobiles adoleſcentes variis diſciplinis linguiſque præter Latinam, Græcam, Hebræam, etiam Gallica Italicaque erudirent, ſed & equis armiſque tractandis rite aſſuefacerent.

Tertio circiter lapide à *Sora* jacet *Herleffsholmia* locus itidem inter lucos, arborumque opaca jucundiſſimus, olim *Schon Cloſter* dictus: quod inſigne prædium hæreditarium, Nobiliſſimus & Doctiſſimus vir Herlefus Trolle, Regni olim Senator & Ammiralius, in uſus convertit publicos; ibiq; liberam & illuſtrem inſtituit Scholam; in qua non modo Nobilium, ſed & aliorum liberi liberalibus diſciplinis & pietate imbuerentur, adjectis & aliis, quas in proximo habebat, poſſeſſionibus.

Minc-

Minores aliquot Inſulæ.

SVperato Promontorio Scaniæ quod vulgo *Valſterboem* dicitur, offert ſeſe *Bornholmia* aliis *Boringa*, à Scaniæ Cõtinenti, circiter quatuor milliaria remota verſus Auſtrum, à Pomerania quinque aut paulo plura. Dividitur in quatuor Nomarchias; continetque præter complures pagos & aliquot Eccleſias, tria oppidula, Nexoam vulgo *Nex* ad orientale latus ſitum, Rundeam vulgo *Rottum* ad occidentale, & Suanekeram vulgo *Suanex* ad Boreale. Itidem arces *Sandvvicum* & *Hamershuſium*; licet alii Sandvvicum vocent municipium. Portum habet & fidam admodum navibus ſtationem.

Diſtant ab ea tria quatuorve milliaria ortum verſus *Eertholmiæ*, parvularum inſularum veluti orbis, quæ in medio ſui tutam navigiis ſtationem præbent.

Cæterum Inſula *Bornholmia*, abundat paſcuis ac pecore, ita ut ad exteras regiones, præter butyrum & ſevum frumentum quoque, lanas, & carnes muria conditas emittat: Patet in longitudinem inter Corum & Eurum circiter quatuor milliaria germanica, ubi latiſſima eſt in latitudinem duo.

Gotlandia vulgo *Guland*, inſula paulo remotior, inter Sueciam & Curlandiam,

diam, æquali pene intervallo: patens in longitudinem circiter milliaria octo-decim, in latitudinem vix quinq;. Præter armenta, frumentaque quibus abundat; venatione quoque, piſcatione, aliiſque rebus ad vitā neceſſariis eſt locuples. Quin & ſaxi genus ſive potius marmor, copioſe ibi è lapidicinis eruitur, vulgo *Gulanſe* vel *Gotlanſe ſteen*; cujus magnus in Dania uſus eſt ad ædificia, arciumque regiarum ſubſtructiones; neque enim ad exteros niſi Regis permiſſu ſolet evehi. Eſt & frequens ſilva abietes admodum proceros ac malos proinde navibus accommodos abunde producens. Vnica in illa cernitur urbs *Visbya* vulgo *Vubuy*, nobiliſſimum olim totius ſeptentrionis emporium. Vineta enim & Iulino funditus everſis, tranſlatus eſt Cimbricæ Cherſoneſi univerſus rerum exoticarū mercatus Ripas: unde haud multo poſt negotiantium exterorum colonia in hanc inſulam atque urbem tranſiit. Cujus antiqua dignitas ac amplitudo, partim & templorum & cœnobiorum multitudine poteſt æſtimari. Nam olim templa decem, monaſteria vero quatuor habuiſſe, arte ac materia operis ſibi invicem æmula, indigenarum relatione conſtat. Plateæ publicæ crepidine olim continua obductæ,

ductæ, merces pariter atque mercatores à vi atque iniquitate cœli facile defendebant. reſtant hodieque ſtructuræ hujus artificioſiſſimæ parietinæ ac rudera quædam, foreſque ac ferreæ feneſtræ, quæ fortunam priorem ſatis indicant. Quin & ædes civium ſecto è marmore exſtructas paſſim eſt animadvertere. Muro cingitur præterquam ea parte quæ portum reſpicit. Arx haud longe abeſt à portu, in qua regius Gubernator ſedem habet. Certo autem conſtat in hac urbe, primum jura maritima fuiſſe conſtituta, quæ hodieque magnæ ſunt authoritatis, atque ibidem primum tabulas hydrographicas diligenti nautarum obſervatione fuiſſe adnotatas, quæ poſtea ab aliis auctæ, emendatæque ſingularem navigantibus uſum præbent. Paruit hæc inſula interdum Suecis, interdum Danis, ſed horum jam conſtanter agnoſcit imperium.

Gotlandiam proxime ſequitur, ſed longo intervallo, *Oſilia* vulgo *Oeſel*, magno Livoniæ ſinui ab occaſu objecta, patens in longitudinem quidem quatuordecim, in latitudinem ſeptem milliaria formæ triquetræ. Ordo Teuthonicus quondam poſſedit totam, ſalvo tamen jure, quod Regi Danorum ſemper competiit. Nunc Daniæ coronæ in

univerſum innexa, eidem regno adhæret. Caſtrum habet *Arnsburgum*, regio præſidio communitum, ſitum ad latus illius Orientale, è regione Livoniæ. Numerus incolarum ad quatuor millia & ſupra cenſetur; in quibus familiæ nobilium triginta. Habet præterea octo aut decẽ parochiales Eccleſias; quarũ præcipuæ *Abberborch.Wyck*; cæteræ *Schvvorne, Piva, Kargel, Kargis, Wolde, Cormel Kilchã*, diſtat ab Hafnia milliaria octuaginta. Sed ad Continentem revertamur.

Scania provincia.

SCania vulgo *Schonen*, adjacet inſulæ Selandiæ, de qua ſupra diximus verſus ortum: fines habens ad Arctum Sueciam, ad Corum Norvvagiam; & quidem latius ſumta, prout à veteribus ſolet, cum Hallandia & Blekingia: ſed ſtrictius ſumta, ut hodie, habet ad corũ Hallandiam; ad Arctum Sueciam, ad ortum Blekingiam; ad reliquas plagas alluitur freto *Oreſunda*. Atque ita patet in longitudinem quidem octodecim milliaria, in latitudinem duodecim, ubi breviſſimus ab illa in Selandiam eſt trajectus, arx conſpicitur regia, poſita in excelſo colle, Helſingburgum & juxta oppidum ejuſdem nominis. Inde tribus milliaribus verſus meridiem, alia ad mare arx & urbs *Coronia* ſive *Lantscrone*, à qua ad Malmo-

Malmogiam duo ſunt milliària : inter utramque vero ſita eſt *Lundia*. Hinc duobus ad Auſtrum milliaribus eſt *Falſterbox* vicus; verſus vero ſeptentriones *Engelholmum*, olim civitas, nunc pagus.

Continet Nomarchias duodecim & quamplurimos pagos.

Lundia Danicè *Lund*, mediterranea quidem eſt urbs, ſed unico tantum milliari diſtans à mari. Hic ſedes Archiepiſcopalis fuit ab anno 1109 ad 1559: ſummæ dignationis: nam olim, ut eſt in matricula Ordinum S. Romani imperii, inter cæteros quoque Lundenſis Archiepiſcopus, ad Imperii comitia evocari, inque iis ſuffragii jus ſolebat habere. Antiquiſſimam urbem eſſe volunt Dani & jam ante Chriſti D. N. nativitatem conditam, fuitque olim vallo & foſſis circumdata ut trium portarum rudera, quæ ſuperſunt, teſtantur, nunc eo diruto, ſex aut ſeptem viis patet in urbem introitus. Inter parochialia templa, quæ olim viginti duo fuerunt, primas ſemper tenuit ædes Laurentiana Cathedralis, fere in meditullio civitatis collocata, vaſti operis & imprimis magnifica; ex ſecto enim lapide ſtructa eſt & plũbeis laminis tota tecta: tria præterea habens admiranda, Hypogæum ſive Cryptam quæ totum ſpatium ſub choro occupat,

ubi olim non minus quam in ipſo tem-
plo ſacra fiebant: Horologium eximium
in parte templi inferiore, annum, menſem, ſeptimanam, dies ſingulos & horas liquidiſſime demonſtrans, addito etiam feſto: Solis quoque & Lunę motus quęque horum ſingulis diebus in zodiaco loca & ad ſe invicem habitudines: Altare denique perquam magnificum, recentióris operis.

Coronia ſive *Landſcroon*, civitas eſt maritima, ab Erico VIII ſub annum 1413 primum condita: habens tres portas verſus meridiem & mare; totidem quoque qua Continentem ſpectat. Non procul à portâ maritima orientaliori, forum jacet peramplum, juxtaque prætorium magnifice conſtructum; & circa forum quemadmodum paſſim in urbe tota, maxime verſus portas borealem & Orientalem, privatorum ædificia ſatis ſplendida. Vicinus eſt urbi ad orientem fluvius, dimidii milliaris intervallo, qui ad meridiem fluens, ſeſeque in mare exoneraturus, curſum nonnihil flectit ad aquilonem marique mixtus præterlabitur urbem, efficitque portum vaſtarum quoque navium capacem; ſed vadum limini illius obverſatur, quod caute ingredientibus vitandum. Rex Chriſtianus III addidit urbi arcem, eo loci ubi
ante

ante fuerat Carmelitarum cænobium; tranſtulitque ad hanc urbem Engelholmienſem mercatum anniverſarium anno 1547: qui celebratur circa Solſtitium æſtivum; unde eo potiſſimum tempore maxima hic hominum & mercium cernitur frequentia.

Malmogia Danicè *Malmoë*, exteris quoque *Elleboge;* (à flexu maris, quem etiam ante urbem conditam, frequentatum fuiſſe à Germanis veriſimile eſt) urbs anno cIↄcccxx vel circiter condita; nunc Scaniæ fere totius metropolis, ob ſitus opportunitatem & mercimoniorum frequentiam. Maritima enim eſt, diſtans à Lundia quidem duo milliaria Germanica verſus meridiem, à Coronia quatuor. Arce munitiſſima inſignis, quam ſub Erico Pomerano ſub annum cIↄccccxxxiv ſtructam volunt. Itemque ædificiorum magnificentia & ſplendore. Qua parte mare ſpectat & Circium, murō tota cingitur, quibuſdam portis pervio, quarum duæ celebrantur. una quæ ad Arcem, altera quę ad pontem ducit, in mare procurrens. Reliqua urbis pars, verſus Continentē & Auſtrum, vallo ac foſſis probe munita eſt, paludibus etiam quibuſdam tecta. Portæ hic ſunt præcipuæ, orientalis una, altera meridionalis, quibus & tur-

res impoſitæ viſuntur, cum tormentis majoribus haud paucis, quæ è turribus prominent: tertia porta occidentalis, non æque frequentatur, niſi quum halecum ſub littus Scaniæ exercetur piſcatio, quod fit quotannis à feſto Bartholomæi ad Dionyſii, per ſeptimanas circiter ſex continuas. Eſt enim hæc porta mari vicinior, eoque per eam ſicuti & ſuperiores maritimas magna halecũ copia importatur; celeberrimus enim tunc & quotidianus eſt tota urbe mercatus. Media fere urbe forum eſt ſpatioſum, & in eo verſus ortum prætorium amplum & magnificum. Parochiale templum habet D. Petro ſacrum, ſpatioſum & elegans, adhæret turris, pyramidem habens perquam editam, cupreis & plumbeis laminis tectam. Portus grandiorum navium capax ab oppido eſt remotior, neque adverſus ventorum injurias ſatis defenſus & Circio præſertim expoſitus. Oppidani ab omnibus teloniis immunes ſunt in quacunque Daniæ parte, beneficio VValdemari R. quod privilegium & Ericus VIII confirmavit.

Helſingoburgum vulgo *Elſenborgh*, urbs ſita ad celeberrimum Oreſundæ fretum, vel fauces per quas Oceanus in mare orientale irrumpit: ſecundum littus in longitudinem exporrecta, pro-

pter

pter imminẽtem montem, cui arx ejuſdem nominis inſidet; quæ & ipſa tam ampla eſt ut per ſe municipium videri poſſit. In hujus medio extat turris quadrata, ampla & alta, ita ut ad multa milliaria è longinquo videatur. Hanc ambit duplex murus, quorum unus illam è propinquo cingit, alter arcem totam, & ædificia quamplurima; qua parte ortum & aquilonem reſpicit, foſſam habens profundam, quia id latus natura haud ita munitum eſt quam occiduum, quod præruptum & natura ſua inacceſſum. In medio urbis extat templum ex coĉto latere, amplum & excelſum, cum turri aliquanto altiori. Non procul ab eo verſus auſtrum, eſt prætorium & forum. Duo hic anniverſarii mercatus celebrantur magno hominum concurſu & mercium abundantia nobiles, unus media quadrageſima, alter ſub Dominicam palmarum.

Hallandia.

HAllandia Scaniæ contermina, habet ad ortum Sueciam, ad occidentem mare Balthicum, ad Corum Norvvagiam, ad Eurum Scaniam. Sumit initium ab immenſo illo Promontorio quod indigenæ appellant *Hallands-Ars*, exteri *Coll*: indeque ſecundum littus extenditur per ſedecim milliaria Germani;

ca, uſque ad *Elsburgum* fere, Sueciæ arcem. Ab ortu habet VVeſtergothiam Sueciæ partem. Dividitur in tres Nomarchias: urbes illius maritimæ ſunt,

Laholmia vulgo *Laholm*, duo milliaria ab Helmſtadio verſus auſtrum. oppidulum vel potius Caſtellum, profundiori ſinui appoſitum, juxta torrentem qui è mediterraneis deſcendit. Circiter milliare unum verſus occaſum jacet *Bosſtadium* oppidulum aut municipium.

Helmſtadium vulgo *Helmſte*, ad fluentum ſitum quod non niſi minora navigia tolerat, vallo & foſſis nuper à Chriſtiano IV Rege, ſingulari induſtria communitum. Falcoburgum vulgo *Valckenborgh* ad fluvium ejuſdem nominis ſitũ.

VVarburgum vulgo *Waersbergben*, inſigne adverſus Suecos propugnaculum; oppidum cum ſua arce, & portu ſatis commodo, licet nonnulla brevia & rupes obverſentur.

Littus perplurimas habet inſulas & rupes ſine nomine.

Inter portus illius celebratur, *Consbackenſis*, pene in orbem adverſus incerta ventorum munitus, ad cujus cubitum oppidum *Consback* jacet.

Ad Monſterſundã ammẽ vel emiſſarium ſita ſunt oppidula *Vlymenes, Horne* & *Goſevvaer*.

Blekin-

Blekingia.

BLekingia adhæret Scaniæ ad ortum atque auſtrum, haud longe ab illa Suecię parte in qua arx Calmaria ſita eſt; dividitur in Nomarchias octo: in quibus ſunt ſequentia oppida.

Trelleburgum vulgo *Drelborgh.*

Vſtadium vulgo *Vſter.*

Santhamera vulgo *Santhamer.*

Ahuſium vulgo *Ahuis.*

Selsburgum vulgo *Selsborgh.*

Elleholmia vulgo *Elenholm.*

Rottenbya vulgo Rottenbuy ad fines Sueciæ. Quibus nuper acceſſerunt bina oppida à Chriſtiano IV Rege condita, *Chriſtianopolis* & *Chriſtenſtadum.*

Vtraque & Blekingia & Hallandia habuerunt olim proprios duces: cum Scania autem conjunctæ, occupant viginti quinque milliaria Germanica in longitudinem: complectunturque in univerſum civitates quindecim: præfecturas viginti tres, parçcias rurales quindecim ſupra ſexcentas.

Norvvegia.

ABſolutis ſingulis partibus quæ proprie Daniæ regnum conſtituunt, reſtat jam ut de Norvvegia dicamus, quæ eidem Regi jam diu paret. Ea habet ad Auſtrum Daniam, ad occaſum oceanum, ad ortum Sueciam & Lappiam.

Regnū hoc ante duo circiter ſecula indiſſolubili nexu Daniæ fuit unitum, per connubium Reginæ Margaretæ cum Haquino, ut Hiſtoria memorat.

Civitates nominatiſſimæ ſunt *Nidroſia, Berga, Stavengera, Aſloa, Maſterlandia.* Habet & arces & præfecturas ampliſſimas, quibus & annumeranda ultimo loco *Vardhuſia* circa gradum ſeptuageſimum ſecundum verſus Arctū, & ſi quid ulterius eſt, ad Ruſſiæ uſque fines Boreales exporrectum. Ita ut à gradu quinquageſimo octavo aut circiter obliquo littore ad jam dictum gradum pertineat. Dirimitur à Suecia continuo montis jugo, quod Ioannes Gothus *Alpes*, Plinius & Solinus *Sevonem* appellant, Ripheis collibus haud minorem, indigenis hodie *Scula, Skars* & *dorffrafiel* vocatur.

Maſterlandia civitatum omnium ſeu præfecturarum, quæ Daniam verſus meridiem habent, proxima, in ſcopulo peninſulæ collocata, cui & alia bina oppida *Congelia* vulgo *Congel* & *Vdevallia* continuo adjacent; arcem habentia communem, *Bahuys* vulgo, quam Haquinus IV Norvvegiæ Rex circa annum 1309 in rupe excelſa *Trolletha* fluvio (quem hydrographicæ tabulæ vocant *Wnder)* adſita, ad fines Suecorum ædificari curavit.

vit. Subdita eſt illi univerſa provincia VVichia, vulgo *Wyckſyden* dicta.

Aſloæ, (indigenis *Opſlo*, exteris *Anſlo*) oppidum arcem habet propinquam (ſed ſatis longo intervallo) Aggershuſium, viginti quatuor ſupra Bahuſium milliaria. Ex hac provincia celſiſſimi navium mali, aſſereſque ac ligna ædificiis idonea ingenti copia evehuntur in varias Europæ regiones. Habet enim acceſſum ſatis opportunũ per ſinum maris qui à meridie ad Arctum penetrat in Continentem & Aſloam uſque, ubi cubito flexus verſus meridiem revertitur, & poſtquam unum atque alterum milliare fuerit progreſſus, finitur: vocatur à noſtratibus Belgis *Soenvvaeter*.

Porro Aſloa ſedes eſt epiſcopalis; ſuntque in illius diſtrictu hæc oppida;

Tonsberga ſeptẽ verſus occaſum milliaria ab Anſloa ad profundũ receſſum.

Fridrichſtadium;

Saltzburgum, de quibus nihil notabile accepimus.

Schina ubi fodinæ cupri & ferri jam olim fuerunt, nuper quoque argenti in confinio, ſtudio Sereniſſimi R. Chriſtiani IV repertæ.

Hammaria major & minor, olim peculiari Epiſcopo claræ, nunc Aſloenſis inſpectioni commiſſæ, viginti ſupra

Aſloam

Aſloam milliaria verſus Boream, in mediterraneis ſita.

Tytemarchia.

Hedemarchia vulgo *Hedmarck* procul intra continentem poſita.

Inter Maſterlandiam & Anſloam, ingens receſſus penetrat intra Continentem, à duabus inſulis *Noordervvyxholm* & *Zuydervvyxholm* in tres fauces diviſus, qui ducit ad aliquot oppidula longe intra Continentem poſita *Oltborgh, Oldevvar, Aleroes* & *Dragens*. *Stafengera* vulgo *Stafanger* oppidulum ſitum ad magnum ſinum quem terra ab Occidente admittit, cui plurimæ exiguæ inſulæ & ſcopuli injacent; diſtat ab Æquatore verſus Arctum gradus novem ſupra quinquaginta. Circiter ſeſqui milliare Germanicum ab oppido verſus occaſum & Oceanum, ad angulum terræ jacet Arx *Doesvvyck*. Sinum prætervectis occurrit inſula haud ignobilis *Schutenes*, quæ aliquot pagos continet & imprimis *Warder* majus & *Notu:* patet in longitudinem milliaria tria, in latitudinem vix tertiam milliaris partem. Inter illam & Continentem ingreditur Fretum vulgo *T'Liedt van Bergen*, quia per hoc ad Bergarum oppidum navigatur, per varias inſulas & canales ſuis nominibus diſtinctos.

Berga,

Bergæ, totius Norvvegiæ celeberrimum Emporium diſtans ab Æquatore verſus arctum gradum unum ſupra ſexaginta. A Bahuſio ſecundum flexuoſum maris littus milliaria circiter centum; à Scaga Iutiæ promontorio propemodum octuaginta: dies longiſſimus hic viginti, breviſſimus quatuor horarum. Regius præfectus ibi Arcē habet *Bergershuſium*, cui & oppidum *Stavengera* vulgo *Stafanger* ſubeſt, licet peculiaris Epiſcopi non minus quam ipſæ Bergæ ſedes ſit. Bergenſis præfecti imperium agnoſcunt præfecturæ *Sundhornleen*, *Nordhornleen*, *Soghne*, *Sunfiorde*, *Noordfiörde*, *Sundmerleen*, aliæque. Patet ad portum Vrbis ingreſſus frequentior per ſinum *Carmeſund* (ita Pontanus, quanquā in Hydrographicis tabulis aut in nauticis itinerariis nullū hujus nominis veſtigium potuerim reperire) qui per obliquas fauces, quibus rupes utrimque incumbunt, inæquali latitudine, ad interiora per aliquot milliaria ingrediens & in extremo inſigniter altus occaſionem dedit ut eo potiſſimum loco oppidum conderetur. Nam ducentarum laſtarum onerariæ vel etiam grandiores ſine periculo ſinum ingreſſæ, ad oppidum uſque poſſunt penetrare, & proxime ad ædes mercatorum anchoras jacere, aut ſaxis

funes

funes alligare. Iacet autem ad gremium hujus ſinus fere ſemilunari forma. Ædificia urbis elegantia, tam publica quam privata. Hāſeatici mercatores ſive oſterlingi univerſam illam urbis oram, quæ vulgo *de Wage* dicitur conjunctis pene occupant domiciliis,quę *Garten* vocant. In his ſunt Lubecenſes, Dantiſcani, Colonienſes, Hamburgenſes, Bremenſes aliique quibus ſuæ quæque Stubæ ac Bodæ ut vocant; ad quas urbium ſuarum, è quibus oriundi, merces navibus advectas exponunt, & viciſſim avehendas imponunt. Curiam habent certis ſtatutis & legibus ordinatam. Vt autem numerus peregrinorum,præſertim eorum, quos ex Hanſeaticis urbibus advenas, indigenæ vocant *Garpen*, intra modum conſiſteret, neque omnibus citra diſcrimen ſocietas illa æque pateret, certos ludos ad deterrendos delicatiores inſtituerunt,quos *Gantenſpill* vocant,in quibus aut cæduntur aut in cœnum conjiciuntur,aut fumo in corbe ſuſpenſi cruciantur, qui in ſocietatem ſunt admittendi. Sæpe hoc oppidum,quia privatorum ædes fere ligneæ ſunt, deformatur incendiis.

A Bergis circiter quindecim milliaria verſus arctum, irrumpit in Continentem ampliſſimus ſinus, ad quem duo

duo oppidula jacent *Waldros* & *Eſterdal.*

Roemsdalia intra continentem ſitum oppidum, ad quod aditus patet per ſinum, qui vulgo appellatur à nautis *Nogvvefiord.*

Nidroſia à Nidero flumine, vulgo *Trunheim* & *Trunten* diſtat ab Æquatore verſus Arctum gradus quatuor ſupra ſexaginta & triginta quatuor ſcrupul. olim totius Norvvegiæ metropolis & ſedes Archiepiſcopi, ad quem non modo hujus Regni; ſed & Iſlandiæ & Orcadum Eccleſiæ pertinebant. Nunc tantum Epiſcopum habet & regium præfectum: cæterum indigenarum & exterorum mercimoniis frequens. Extat hodieque templum Cathedrale, quod licet incendio ſuperioribus annis fædatũ ruderibus ſuis ſatis arguit, vix ullum magnitudine & cæſorum lapidum artificio in toto orbe Chriſtiano fuiſſe magnificentius. Præter quod & alia duodecim traditur habuiſſe. Amplitudinem diœceſeos hodieque arguunt perplurimæ & amplæ præfecturæ, quæ omnes præfectum Nidroſienſem ſuperiorem agnoſcunt. Situm autem eſt oppidum ad fluentum quod vulgo *Elve* vocant, & intimum maris receſſum à multis majoribus minoribuſque inſulis conclu-

concluſum & extra has infinitis ſcopulis obſitum, ad quem per longum meatum intra continentem & inſulas pervenitur.

Wardhuſia ultima verſus Aquilonem Norvvegiæ & pene orbis Chriſtiani arx; in inſula collocata, *Warda* vulgo quæ in ambitu milliare unum Norvvagicum cum dimidio complectitur. (Nótandum autem unum milliare Norvvagicũ duobus Germanicis reſpondere) Diſtans à Continenti circiter quartam partem milliaris, & patens in longitudinem circiter medium milliare; continet præter arcem, circiter trecentas ædes ligneas.

Subeſt illi cum vicinis Lappis, Finmarchia & univerſus ille tractus maritimus qui *Trunſolen* dicitur, piſcatura præcipue inſignis. Præfectus enim VVardhuſiæ toti Finmarchiæ jus dicit; quæ & ipſa præfectum habet æſtivum & hybernum.

Finmarchia.

FInmarchia adjacet Norvvegiæ ad ſeptentriones, vulgo *Taakemarchia* dicta, quæ hoc habet peculiare, quod regio illius in dominia ac poſſeſſiones, ut alibi fit non ſit diſtincta, ſed omnibus obvia, primique occupantis. Qui autem primus occupat, ejus non tam Dominium quã uſum fructum acquirit. Finni

ni quoque qui ad mare piſcatum veniunt, facile ſedes mutant, quum ligna vicina in pyras deficiunt; niſi quod & piſcatura æſtivis menſibus abſoluta, ſub hyemem in mediterranea recedunt. Verum Inſulares, qui *Heymeland* aliasque inſulas inhabitant, ſtatas habent ſedes, ſuaſque Eccleſias in *Trem*, *Suro*, *Maggero* & alibi. Finni qui littora accolunt plane diverſo idiomate utuntur quam mediterranei, ita ut alii alios ſine interprete minime intelligant.

Baſilicæ in Finmarchia numerantur decem: prima VVardhuſiæ quæ duo ſub ſe habet ſacella, unum in *Wadſoen*, alterum in *Kiberga*: Secunda *Ommegang*. Tertia *Scuttingbergh*: Quarta *Kielingh*; quæ ſacellum ſub ſe habet in *Hellenes*, quæ eſt parçcia in *Maggeroe* inſula quinque milliaria Germanica longa & pauciora lata. Quinta *Thunes*: Sexta *Hellemſnes*: Septima in inſula *Ingien*: Octava *Meiſiord* in *Suroii*, quæ eſt inſula undecim aut duodecim milliaria à *Tromſunda* circiter octo milliaria Germanica longa, ſed valde anguſta. Nona *Sorffru*: decima *Loppers*. Atque hæ quidem Baſilicæ apud Scritofinnos ſunt: Nam apud *Fieldfinnos* qui mediterranei, & Lapponum ſimiles aut illorum pars, nulla ſunt templa.

III.

Cæli ſolique qualitates & Regni Daniæ dotes.

IN Regno Daniæ cæli ſolique natura, pro diverſarum partium ratione multum diverſa eſt, unde de ſingulis potius, quàm de univerſo dicemus. De Iutia ſeptentrionali ita *Pontanus.*

Regiò eſt cultura hominumque induſtria eum in modum compoſita, inque jugera amœnoſque fundos redacta, ut frugum atque fructuum generatrix celebretur fæcundiſſima. Boum item & equorum, piſciumque variis generibus nobilitata. Quorum copia atque ubertate vicina regna, ingraveſcente annonæ caritate, ut plurimum ſublevantur. Feris ubique abundant ſaltus. Quarum cervi primum obtinent locum, tanta ibi copia, ut certo venationis tempore, quod in menſem Auguſtum plerumque incidit, ultra mille ſexcenta cervorum in arces ac regia palatia deportata ſint, exceptis damis, capreolis, apris, leporibus & id genus aliis. Avium captura paſſim obvia eſt & imprimis perdicum, anatum, anſerumque ferini generis & autumnalibus præſertim menſibus ſcolopacum, quas Plinius ruſticulas, Martialis

tialis ruſticas perdices dixit. Piſcium porro ubertatem ſi recitare hoc loco eſſet animus, & illa ſolum repetere, quæ Saxo ſeculi ſui præco, memorat, eam quondam his in oris piſcium & halecum præſertim fuiſſe affluentiam, ut manibus non modo & abſque naſſis aut piſcatoriis verriculis caperentur, ſed ita ſępenumero freta ac ſinus omnes eorum repletos frequentia, ut impacta ſubinde navigia vix remigii conamen (ſunt ejus verba) eriperet, fortaſſe fidem excedere narratio poſſet. Verum interim fatendum, eam hodie per univerſum regnũ, capturæ ac piſcium ubertatem haud eſſe & halecariam prę́ſertim negotiationem jam aliò tranſlatam. Inter præfecturas autem Iutiæ ſeptentrionalis ager Arhuſienſis excellit, paſcuis lætioribus, & arvis uberioribus gaudens, quam reliquæ vicinæ præfecturæ. Fæcunda quoque eſt Thya & piſcatura imprimis nobilis, ob ſitus opportunitatem, hinc Lymicum habens, inde Oceanum.

Idem de Scania: Cælo ac ſolo læta, agrorum fertilitate ac terræ ſumine reliquis regni partibus haud quaquam cedit; unde multi ob excellentiam, & quã habet à cæteris in vicino ditionibus, ſive magnitudinem ſive opes videamus prærogativã à pulchritudine! & amœnitate

Schone nuncupatam exiſtimant. Adeo ut cæli beneficio, telluris obſequio, portuum atque emporiorum commoditate, maritimis divitiis, lacuum ac fluminum piſcatione, venatione nobilium ferarum, inexhauſtis diverſi generis metallorum venis, oppidorum frequentia, civilibus inſtitutis, nulla regionum beatarum ſit inferior. Frumentis & piſcibus abundat, grues, anſeres, anateſque ſilveſtres, quæ magno agmine, æſtatis tempore eò confluunt, ibidem circa littora aut in proximis lacubus ingenioſo ac frequenti aucupio capiuntur. Quumque in eadem hac regione nemora ac ſylvæ permultæ ſint, in quibus lupi, cervi, capreoli, vulpes ac lepores abundant, hinc multum operæ venationibus paſſim impenditur. Quin & boum & equorum numeroſa agmina in Germaniam quotannis emittit.

Idem de Norvagia; Tractus omnis Occidentem verſus, ſcopulis acutiſque petris avius eſt, verſus meridiem rupibus ac perpetuis cautibus ſaxoſus, interjectis, quas incolæ habitant, vallibus; ubi prata paſcendo pecori virentia, & introrſus quoque ſylvæ denſiſſimæ, ex quibus in univerſam propemodum Europam illa ingentia arborum robora totque tigna lignaque devehuntur. Cælum

lum habet ſatis temperatum. Piſcium è mari vicino copioſa captura. Quorum aſellus frigore induratus & in fuſtes extenſus, in proxima ac late circumjacentia regna regioneſq; maximo lucri proventu tranſmittitur, vocaturque *Bergerviſch* & *Stockviſch.* Petuntur & inde pelles pretioſæ, ſebum, butyrum, coria, adeps balenarum, pix liquida, trabes quernæ, abiegnæ, mali aſſereſque uberrimo negotiantium quæſtu. Eſt & hic genus piſcium quod *Helleflunder* vocant Rocharum ſpeciem præ ſe ferens, longitudine quinque aut ſex pedum. Hos piſces ob magnitudinem diſſecant ac craſſiores partes appellant *Rekeling*, reliquias tenuiores & pinguiores *Raff*, quæ ob amabilem ſaporem in deliciis habet.

Idem de Fionia: Pollet pluribus naturæ dotibus: nam frumentorum copioſo proventu ita abundat, ut ad remotiſſimas regiones ea quotannis tranſmittat, prçſertim ſiliginem & hordeum. Quemadmodum etiam annuatim numeroſa boum & equorum præſtantium agmina Germaniæ ſuppeditat.

Denique idem de Dania in univerſum. Habet Dania ſolum haud depreſſum aut paluſtre, ſed leviter collibus aſſurgens, uberi paſſim gleba dotatum ornatumque. Circa ingreſſum Cherſoneſi

Cimbricæ, qui eſt Sleſvicenſis ducatus, terræ uber haud uniuſmodi eſt. Nam alibi, qua mare ſpectat, ſolum, ut plurimum eſt argillaceum, pingue ac uliginoſum ſilviſque ſuperbum. Alibi denuo quod terræ dorſum dicere liceat, ager eſt ceſpititius, ericoſus nec uno ſe modo habens, varie tamen fœcundus. Teutomarſiæ vel ut vulgo vocamus Ditmarſiæ gleba plerumque eſt ſalſuginoſa, profunda mireque fertilis. Qua deinde ſeptentrionem eadem ſpectat Cherſoneſus, regionem videas ſubinde ſilvis ac lucis opacam incultamque; ac alibi viciſſim cultura, hominumque induſtria in jugera frugifera & amœnos fundos, interfluentibus hinc inde maris ſinubus reſplendentem: qui fruges leguminaque multiplici fœnore refundunt: quique boum & equorum præſtantium; piſciumque variis generibus nobilitantur. ita ut copia atque ubertate eorum vicina regna, regioneſque urgente annonæ caritate ſæpenumero ſublevari contingat. Saltus præterea feris ubiq; abũdant. Quas inter cervi haud ultimum tenent locum, ut & damæ, capreoli, lepores & id genus aliæ. Nam avium captura paſſim obvia, imprimis perdicum, anatum, anſerumq; ferini generis, itemque ſcolopacum quas *ruſticas perdices*

Martia-

Martialis, Plinius ruſticulas appellat. Cæterum præter ſecale, præſertim hordei ubertate commendatur Dania. Nam ut reliquas illius partes taceam, vel ſola Selandia ejus frugis tanta circumfluit copia, ut onerarias aliquot hordeo ſtipatas ad exteros quotannis demittat, & ſibi interim, quod ſatis ſit excoquendæ cerevisiæ aut aliis uſibus, domi retineat.

IV.

Mores, ingenia & inſtituta Danicæ gentis.

HÆc prolixe ab Iſacio Pontano deſcripta; compendio pro inſtituto noſtro attexemus.

Dani cæterique remoto ſub Boreæ axe minuſque benigno gaudentes cælo populi, ſcriptoribus Romanis aliiſque ſuarum magis quàm alienarum laudum ebuccinatoribus ut rudes inſcitique habentur, quum illi interim ſint, quibus cedere poſtremo Romanum imperium, quibuſque oriens atque occidens ſubmittere faſces debuit. quique res domi militiæque vel hoſtium ipſorum teſtimonio, præclariſſimas prorſuſque inauditas geſſerunt. Nam ſi Saxonem ſequi libet, Hibernia octies à Daniæ

Regibus debellata & acquiſita eſt. Anglia decies perdomita, ac ultimo ſub imperium Danorum regum devenit, quorum noviſſimus fuit Canutus, cognomento Durus. Scotia armis occupata, obſequium Regibus aliquot Daniæ præſtitit; ut & Saxonia, quæ facta multoties ſtipendiaria penſionem ſolvit Helgoni, Rolvoni; Frothoni, Sivardo; aliique Slavorum populi vicies quatuor ſubacti imperata fecerunt. Suecia item pluſquam duodeviginti præliis attrita, multoties Sacramentum dixit, denuoque promiſſis excidit; ut & Norvvegia, quæ demum hæreditaria eſt reddita. Re maritima quoque dudum floruerunt; olimque vicinis gentibus ac regnis hac maxime re terrori fuerunt: nam & in Friſiam, Bataviamque ac demum in Galliam, Britanniamque impetu facto, eas ſibi omnes aut vectigales aut ſubditas reddidere. Deque Francorum regno abrepta ingenti lacinia, de nomine ſuo Normanni Normanniam condiderunt. Nec intactam quoque habuerunt Hiſpaniam, inq; Aſiæ limite, poſitam Conſtantinopolin. Et hodieque quum hinc deportarièq; Boreali Norvegia ligna tignaque neceſſè ſit; quibus onerariæ illæ omneque navium genus conficitur, paſſim videre eſt navibus, quas holcadas,

corbi-

corbitas, carabos, lembos cimbaſque ac myaparones vocamus, ſtipatos portus. Quibus æſtate & cum cælum ſinit, modo in Hiſpaniam Galliamque, modo in Angliam, Scotiam; Friſiam, Hollandiamque enaviget, oceano veluti enutrita juventus: ſubinde & ſua quæ in vicino ſunt, viſit, urbeſque Vandalicas ac Sueciæ tractus, ut & Norvagiam Iſlandiamque & Orcadum inſulas: & nuper quoque contracta cum Rege Seilonenſi apud Indiæ populos amicitia, ſuas etiam eo corbitas aromatum gratia tranſmiſit, indieſque tranſmittit.

Gens ipſa hominumque genus magis alta quam humili ſtatura eſt, corpora alens valida compactaque. Hujus in gentibus borealioribus proceritatis cauſam alii ad traducem populorum; phyſici ad ipſum cælum referunt.

Dani quoque Norvagique & omnes fere ultra mare Balthicum colentes, capillo, ut plurimum, aut albicant aut flaveſcunt. Fœminæ virgineſque ſucculentæ pleræque & nitore quodam naturali ac lacteo, ut ita dicam, candore commendabiles. Nonnullas etiam viragines dicas, ita laboris frigoriſque patientes, brachia lacertoſque nudæ, æſtate hyemeque agunt. Olim quoque fœminæ militiam ſequebantur: hodie domi agen-

tes, laudem affectant frugi matrum familias, beneq; adminiſtratæ œconomiæ.

Tacitus de Germanis loquens aſſerit haud aliam gentẽ convictibus atq; hoſpitiis effuſius indulſiſſe, & nefas apud eos habitũ mortalium quenquam tecto arcuiſſe. Quem poſtremum morem laudemque hoſpitalitatis, demonſtratum eſt, eam relegatam veluti inde, hic adhuc locum tenere. Gratis enim peregrinantem alunt, excipiuntque notum ignotumque, quantum ad jus hoſpitii, nemo diſcernit. Abeunti ſi quid popoſceris, concedere moris; & poſcendi invicem eadem facultas. Ipſi autem populares ſeu ruſtica gens agris ut plurimum colendis intenta eſt. Domi quoque non tam nitelas aut pecuniam, quam penum curant. Hic ut rite atque opipare inſtructus habeatur præcipue incumbunt. Cereviſiam olim tantum noverant; vinum ſerius acceperunt, & cum illo vitia, quæ illius nimium hauſtum ſolẽt ſequi.

Nunc ingenia videamus: Quæ ejuſmodi ſane protulit Dania, quorum eam pudere aut pœnitere nunquam debeat. Et ſi in comparationem venire cum cæteris regionibus etiam beatiſſimis inſtituat, reperietur ſub axe cœli remotiore licet poſita, ſi non certare cum terrarum omnium alumna ipſaque parente Italia

poſſet,

poſſet, ſaltem inter ei proximas haud postremum meritura locum.

Nulla eſt cognatio cum Danica, Suedica aut Norvagica lingua iis populis, qui Suecis aut Norvagis borealiores habitant: cujuſmodi ſunt Lappones & Finlandii. Danica vero Suedica & Norvagica linguæ tantummodo dialecto differunt: ſingulæque fere omnia vocabula habent cum Germanis & Saxonibus communia; ita tamen ut proprietates ſuas ſive idiomata quæque habeant, quibus intelligi à Germanis aut Saxonibus haud facile queant: ſicut & Angli quoque eadem de cauſa: ut differentia pateat, orationem Dominicam variis linguis apponemus.

Teutonice.

VNſer Vatter/ der du biſt im Himmel. Geheiliget werde dein nahm. zu komm vns dein Reich: dein will geſchehe auff erden/wie im Himmel: vnſer täglich brot gib vns heut: vnd vergib vns vnſer ſchult/ als wir vergeben vnſern ſchuldigern: vnd fuhr vns nicht in verſuchung: ſonder erlöſe vns vom ubel. Dann dein

iſt

iſt das reich/vnd die kraft/vnd die herligkeit in ewigkeit / Amen.

Danice.

Fader vor/ du ſom eſt i Himmelen: helliget vorde dit nafn: till komme dit Rige: vorde din ville ſaa paa jorden/ ſom hand er i Himmelen: giff oſz i dag vort daglige broed: oc forlad oſz vorſkylt/ſom wi forlade vore ſkyldener: oc leed oſz icke udi friſtelſe: men frelz oſz fra ont. Thi dit er Rigit/ oc krafet/ or herlighed i evighed/ Amen.

Suedice.

Fadher warſom eſt i Himlen. Helghat warde titt nampn. Till komme titt rike. Skee tin wilie/ ſa ſom i Himmilen/ſa oc po jordenne wart dagligha brod giff os i dagh. Och forlat oſz waraſkuld/ ſa ſom oc wy forlate them oſz ſkyldighe aro. Och in leed oſz ickei i freſtelſe. Vthan frels oſz fra ondo. Amen.

Wor

Norvagice.

Wor Fader du ſom eſt y Him-
mælen/gehailtget worde dit nafn/
til komma os Riga dit/ din wi-
lia geſkia paa jorden/ ſom handt
er udi Himmilen. Gift os y tag
wort dagliga bronta/ och forlaet
os wort ſkioldt / ſom wy forlata
wora ſkioldonar/ och lad os ickie
komma udi friſtelſe/ mann fráls
os fra onet. Thi Rigit er dit/
macht och kracht fra evighait till
evighait; Amen.

V.

Regni Danici ſtatus politicus.

Ex Pontano.

REgni regimen, ita eſt temperatum, ut inter monarchicum & principatum veluti intermedium, monarchiæ tamen per ſimile ſit, quum Regum electio non niſi ex regia familia hactenus ſit facta; & omnis penes eoſdem olim, quemadmodum & hodie conſtiterit authoritas. Adeo ut qui adſertum velint, inter quos

Bodi-

Bodinus, Daniæ non reges, ſed principes potius eſſe, nec habere jura majeſtatis, quod peculiaria aliquando pacta inter Nobilitatem & Regem ante ipſam inaugurationem præter ſolemnia ſacramenta interceſſerint; illis ſciendum, ea cum momentanea fuerint & in arbitrio cujuſque poſita, nihil derogare regiæ poteſtati. Nam ad jurajuranda, quibus juſtitia & ſalus reipub. conſiſtit, priuſquam initientur alli reges ex uſu ac ſtatu cujuſque imperii habetur. Nec in ipſis Galliis aliter fieri aut obtinere Bodinus inficias jverit; cum à ſolo Remenſium pontifice, præſentibus populo ac proceribus inaugurati Reges in Regni ſtatuta legeſque jurent.

Ordines ſeu ſtatus Regni Daniæ quinque.

PRimus ordinum Rex eſt Regisque familia. Hujus primogenitus filius regno deſtinatus, electuſque communi Senatorum ſuffragio, *Princeps* appellatur. Ceteri fratrum, titulo ducum atque hæredum regniNorvagiæ,quod hæreditariū habetur, vulgo nuncupantur.

Secundus ordo, Nobilitatis eſt. Inter Nobiles autem nulli duces, comites aut Barones cenſentur. quamvis olim,quod ex Hiſtoria cognoſcitur, non comites modo, ſed & duces dynaſtæque fuerint, quum,ſciſſo per partes regno,alius aliud ſibi

ſibi tertorium vindicaret; quos tamen fuiſſe non tam nobiles quam regum familiæ quàm proxime agnatos, aut ei per connubia innexos, eadem docet hiſtoria. Interim ipſi nobiles longa majorum ſerie nobilitatem demonſtrant, clypeos inſigniaque geſtantes, quæ mutare vel augere antiquitati eorum ac ſplendori eſſe dedecori exiſtimant. Superſunt hodieque familiæ quæ adfuiſſe tranſactioni inter Carolum magnum & Hemmingum Danorum regem ſuper Eidoram fluvium factæ putantur, ut *Vren* & alii: meminit & Saxo grammaticus *Tottiorum*, *Oxierumque* ante annos quadringentos & quod excurrit celebratorum. Poſſident nobiles bona ſua cum juriſdictione capitis majori minorique. Liberam etiam habent venandi aucupandique poteſtatem ſuis in bonis, quẽadmodum in Germania Comites. Bona ipſorum non feudalia, ſed hæreditatis ſeu, ut vocant, allodialia ſunt.

Caſtra prædiaque ac bona omnia, tam mobilia quam immobilia, à parentibus relicta æque dividuntur inter fratres: ad ea ſorores etiam admittuntur ex ſingulari privilegio, ita tamen ut frater duas partes, ſoror vero tantum accipiat unam, filiiſque Arces ac Caſtra cedant. Sic ad primogenitum devolvi

prædia

prædia non omnia, ſed tantum æque diviſa poſſunt.

Eſt & ſalutaris in Regno conſtitutio, qua bona immobilia ſibi ære comparare à Nobilitate Rex prohibetur, ne forte inter regem hac de cauſa & regni proceres lis ac diſſenſus oriatur. & emere Rex velit, quæ vendere nollent Nobiles. proinde per hanc conſtitutionem huic rei à proceribus Regni optime proviſum eſt. Licet interim Regi permutare bona cum Nobilitate. Contra Nobilibus nulla bona fas emere à regiis ruſticis. Habent enim ruſtici nonnulli bona hæreditaria & propemodum libera.

Ex ordine Nobilium eliguntur *Senatores* regni, quorum numerus viginti octo raro excedit. Eis omnibus decreta honeſta alimenta à Rege & Regno. Singuli enim Arces regias habent, quamdiu Senatoriam obtinent dignitatem: de quibus Regi nihil contribuunt, ſed tantũ equites aliquot alere pacis ac belli tempore, &, à Rege quandocunque evocantur, ei propriis impenſis intra regnum præſto adeſſe tenentur. Si Legati extra Regnum ablegantur, honeſte illis providetur ex fiſco, ut tanquam Regii legati principum more ubivis agant. Reliqua nobilitas etiam ſuam habet honeſtam à Rege ſuſtentationem

ſive

ſive in aula regia vivant, ſive ab ea diſcedant. Sunt enim Regni prædia, quæ Danico idiomate *verlehninge* ſive beneficia vocantur. His proſpicere pro more ſolet de ſe regnoque meritis, ad vitam aut ad annos aliquot. Ex horum prædiorum proventu tenentur paratos habere equites aliquot, & fiſco etiam Regio certam pecunię ſummam quotannis dependere: eo tamen more modoque, ut ipſi pro labore ac famulitio domeſtico aliquã ſibi commodi partem retineant.

Ex eadem pręterea Nobilitate eliguntur *Præfectus* ſive *Magiſter Aulæ*, *Mariſchallus*, *Admiralius*, *Cancellarius Regni*, *Cancellarius Regis*, *ærarii præfectus*. *Aulæ Magiſtri* officium fere tale eſt quale olim Majoris Domus in Gallia. Is ut plurimum Haffniæ agit, tanquam Regis vicarius, res à Rege ſibi demandatas ſuá cura ac ſtudio exequens. *Marſchalcus* tempore belli ac pacis, ea quæ ad expeditiones pertinent, procurat. *Admiralius* ædificat naves, veteres reſtaurat, & ea ſingulis annis ordinari ac fieri curæ habet, quæ ad Oceanum tutandum reſque nauticas diſponendas pertinent: habet & is ſub ſe conſtitutum ſubalternũ Admiralium, & in ſingulis navibus prę-fectum ex equeſtri ordine.

Ad *Regni Cancellarium* ex omnibus

provinciis atque inſulis appellari conſuevit: à quo ad Regem & Senatum regni appellatio viciſſim devolvitur. Sunt enim diviſæ provinciæ ſingulæ in ſua territoria, ſeu diœceſes, quæ *Herret* vocantur: ſub quibus parochiæ perplures habentur. Ibi primum de jure diſceptatur, ſi rixæ fuerint invicem ortæ. Hinc ſi neceſſe fuerit, appellatio inſtituitur ad terræ ſeu territorii ejuſdem Iudicem. deinde ad Regni Cancellarium. poſtremo ad Regem ac Regni Senatores: ubi ultima ac decretoria ſententia promulgatur. Habent Indigenæ jus ſcriptum à Valdemaro I. Epiſcopis ac Regni ſenatoribus primitus congeſtũ; atque inde varie ab eorum ſucceſſoribus per receſſus, ut vocant, vel reſtrictum vel auctum. Eſt hoc ipſum jus legi naturæ valde conſentaneum, nec à legibus Romanis admodum diſcrepans, niſi quod populari ac vernacula lingua conſtet, omniumque intelligentiæ pateat. Vnde & lites multo citius, quam alibi, finem aſſequuntur, lataque ſententia paratam habet executionem. Primi Iudices ſi iniquã tulerint ſententiam, in dimidiam bonorum partem condemnantur, quorum dimidia Regi, certa pars injuſtâ ſententiâ læſo cedit.

Regis Cancellarius, qui plerumque in aula

aulâ Regi adeſt, habet ſibi adjunctos ſeptem vel octo ex Nobilitate; ut ſecretarios & ſcribas. Omniaque per eum Regis nomine negotia quotidie pertractantur. Ei ob ſummam dignitatem atque interiorem ad regiam Majeſtatem inque negotia regia admiſſionem ſummus honos tribuitur, & ut plurimum *Magnus Cancellarius* nuncupatur. Si quid tamen majoris momenti inciderit, ut de pace ac bello, deque fœderibus ineundis, vel de finibus defendendis, ea occaſione concilium univerſi Senatus à Rege cogitur. Nec ullum Regno tributum aut onus imponitur, uti nec Ruſticis, abſque Senatorum ac procerum conſenſu.

Præfectus ærarii omnes totius Regni reditus, tam caſtrorum quam prædiorum, nec non telonia, cum in mari, tum terra colligit, audit rationes, examinat, inquirit, redditque apochas ſive quitancias pecuniam offerentibus. Huic adjuncti ſunt duo ex Nobilitate & ſcribæ ex plebe plures. Ei laboris ac curę hujus nomine annuum ſalarium eſt deſignatum. Præter hunc, ſunt & alii à Rege conſtituti vectigalium præſides, qui ærariis ac teloniis aliis ac ſeorſim colligendis vacant. Et inter cætera, habent fere ſinguli trajectus ejuſmodi quos vo-

cant telonarios. Et in his præcipue eminet nauticum teloneum, quod Helſingoræ ad Zuntæ fretum eſt collocatum. Cujus, ut & aliorum, non tam ex Nobilitate quam ex optimatibus aliqui, aut quibus id regia majeſtas meriti loco aut aliàs indulſerit, curam gerunt.

Tertius eſt ſtatus Eccleſiaſticus, in quo Epiſcopi ſeptem, ut Archiepiſcopus Lundenſis, Epiſcopus Roſchildenſis, Orthonienſis, Ripenſis, VViburgenſis, Arhuſienſis & Sleſvicenſis, ad quem ceteri etiam Canonici referuntur: His regni decimæ cedunt. quæ tamen in provinciis diverſis diverſo modo ſe habent. Dimidiam partem decimarum percipiunt Epiſcopi, dimidiam Rex, aliquam Canonici & Paſtores, pars etiam ædificãdis aut reparandis Eccleſiis tribuitur. Et quantũ ad jus pontificium attinet, ſemper in Dania, quemadmodũ & in Gallia collationes prælaturarũ atque Epiſcopatuum penes Reges fuere. Et huc præcipue Valdemari III Dan. Regis ſpectat reſponſum: Quum enim Romanus Pontifex à Rege hæc & ſimilia poſtularet, reſcripſit in hanc ſententiam: Vitam habemus à Deo, regnum à ſubditis, divitias & Nobilitatem à parentibus, religionem à tuis præceſſoribus, quam ſi nobis invides, remittimus per præſentes.

Quemad-

Quemadmodum vero Caroli V Imper. reſcriptum laudatur, quo inhibentur Eccleſiaſtici rem ullam immobilem coëmere abſque principum conſenſu: ita Chriſtianus III æque prudenter conſtituit, ne Eccleſiaſtici aliquid divendant abſque expreſſo Regis mandato. Alioquin ſingulari cura per regnum univerſum proviſum eſt omnibus, qui ſuam Eccleſiæ operam addixerunt. Et ſcholæ quoque particulares multis in locis erectæ, veluti ſeminaria Eccleſiæ; & Academiæ, quæ unica eſt, regno univerſo communis, Haffnienſis ſcilicet. Habet & ultima terrarum Iſlandia ſuas ſcholas ſeu litterarios ludos, qui utriuſque Epiſcopi Holenſis & Scalholtenſis ædibus quam proxime ſunt adjuncti. Fuit & nuper ibidem, hodieque in fallor, officina typographica. Ex qua typis deſcripta Biblia Iſlandico idiomate annis ſuperioribus prodierunt. Academia vero quamvis actitatum de ea conſtituenda ſub Erico Pomerano, tamen fundata demum eſt, rerum potiente Chriſtiano primo, pontificatum Romæ tenente Sixto IV, quum annus flueret Chriſti 1478. Eam exinde Fredericus II, licet bello Suecico ſeptennali implicitus, locupletavit nihilominus, & adauxit illius proventus ſexaginta thalerorum millibus.

Quar-

Quartus ſtatus eſt civium & mercatorum, urbes ac municipia paſſim habitantium. Sunt his propria ſua privilegia, quibus ſeorſim frui ipſis conceſſum. Attributi quoque agri ac latifundia propria, ſylvæque limitibus circumductæ. Hi in pagis perque maria in omnibus Europæ partibus exercent mercaturam. Ex his non excluſis etiam ruſticorum liberis, eliguntur Epiſcopi, Canonici, Paſtores, Senatores urbium, ſcribæ in caſtris & arcibus regiis ac nobilium, magiſtri item ac Gubernatores navium, aliqui etiam præficiuntur teloniis: Iudicia denique omnia minora ex his conſtituuntur, Præſide interdum uno ex Nobilitate.

Quintus ſtatus eſt Ruſticorum, quorum duo ſunt genera. Primum vocatur, *Frybunder* id eſt liberi coloni. Hi agros poſſident hereditarios, paululum tamẽ inde ſingulis pendunt annis. Exercent iidem mercaturam etiam ac piſcaturam. Servitiis præſtandis non opprimuntur, nec pendunt tributa, niſi conſentiente Regni Senatu. Alterum genus eſt eorum, quibus non ſunt bona hæreditaria, ſed à Rege, Nobilibus aut Eccleſiaſticis ea conducunt. Vnde & varia Dominis ſuis præſtare officia ſervitiaque tenentur, prout cum

Domi-

Domino latifundiorum convenerint.
Nobilibus denique, præſertim de Rep. bene meritis, dignitas quædam ac prærogativa à Rege ſolet tribui, quæ equeſtris appellatur: unde quicunque ea ornati *Ridders*, eorumque liberi ac proſapia *Ridders menſmen* vulgo appellitantur. In hunc ordinem allecti aureo nummo vel torque cum Elephanti ſimulacro caſtellum geſtantis.

VI.

ERICI
DANIÆ REGIS,
VVRATISLAI VII DVCIS POMERANIAE F.

Hiſtorica narratio, de origine gentis Danorum, & de Regibus ejuſdem gentis, deque eorundem rebus geſtis,

Ex codice manu deſcripto recognita, & ſexcentis in locis debita integritati reſtituta.

DANI, ut teſtantur veteres Hiſtoriographi, tempore Saruch proavi Abrahæ, regnum quod nunc Dania dicitur, intraverunt, venientes de Gothia. Qui quidem

Gothi, ut dicit Papias, de Gog filio Iaphet orti ſunt. Quod autem quidam dicunt, Danos à Danaitis, id eſt, Græcis veniſſe, veriſimile eſt, ſed uſque quaque certum non eſt, niſi ab initio dicti ſunt Dani, ſed quælibet terra habuit nomen ſpeciale, quod habet adhuc, donec tempore David regis habuerunt regem Dan: nam tempore illo, Dan filius Humble de Suecia veniens, regnavit ſuper Sialandiam, *Monen*, Falſter & Laland, cujus regnum dicebatur *Witheſleth*. Eo tempore Rex quidam potentiſſimus ad invadendum Iutos venit. Quo audito, Iuti timentes valde, locum qui adhuc *Kovverki* dicitur, foſſatis & fragis ligneis munierunt, miſeruntque nuncios ad Dan regem VVitheſleth, ut eis ferret auxilium, pollicentes ei, victoriam ſi reportaret, dominium ſuper ſe. Qui cum ſuis veniens, apud Kovverki hoſtibus occurrit, occiſis plurimis, & reliquis in fugam actis. Dominus Iutorum factus Dan, cum Iutis Fioniam, Scaniam, ac omnes alias Inſulas Daniæ ſibi ſubjugavit, & poſtmodum communi omnium decreto, regnum ſuum Daniam, & incolas Danos, à ſe qui Dan dicebatur, appellavit.

I. Primus ergo Danorum Rex fuit DAN, filius Humble, à quo Dani & Dania

nia nomen habet: Dan ergo primus Rex fuit pugil fortiſſimus & giganteus; cunctis in circuitu terribilis, & prælia clariſſima geſſit hinc inde. Huic ſucceſſit ſecundus.

II. HUMBLE filius ejus. Hic erat vanus & iners, & pauca notabilia fecit: unde *Lother* frater ejus, facta conſpiratione Danorum contra fratrem, eum de regno depoſuit & pro eo regnavit.

III. Tertius LOTHER nimis durus fuit incolis regni, & in multis ſe nequiter geſſit, & ideo tyrannidem ejus Dani non ferentes, eum occiderunt. Huic ſucceſſit *Skiold* filius ejus.

IV. SCHIOLD. Iſte antequam haberet quindecim annos ætatis, occurrens ſolus magno urſo, eum cingulo ſuo ligavit. Hic primo Teutonicos Danis ſubjugavit & ſervire fecit ſub tributo, & multa ſtrenuè geſſit. Huic ſucceſſit filius ejus *Gram*.

V. GRAM, à quo Gramhæreth dicitur. Iſte cum quodam gigante in Suecia pugnans, ſolus occidit eum. Regem etiam Sueciæ occidit, & ſedecim fratres ejus: & Sueciam tributariam Danis fecit. Poſtea cum *Suibdager* Rege Nordmannorum bellum geſſit. Huic ſucceſſit in regnum Suibdager, qui eum occiderat.

VI. SVIB-

VI. SVIBDAGER. Iſte ex patre Danus fuit, & ex matre Noricus, qui patrem proprium in Norvvegia regnantem, de regno expulit, & pro eo regnavit. Hunc in Dania regnantem occidit *Haddinger*, filius *Gram*, in ultionem patris, & pro eo regnavit.

VII. HADDINGER filius *Gram*. Iſte regem Sueciæ & Helleſponti interfecit. Norvvegiam & urbem Dymin ſubjugavit, & multa clariſſime fecit, & poſt multas victorias indignum ducens mori in lecto quaſi pecus, propter laudem mundi, & poſteritatis memoriam, ſeipſum ſuſpẽdit. Huic ſucceſſit *Frothi* filius ejus.

VIII. FROTHI GEFMILDE. Iſte poſtquam ſeipſum & totum regnũ in bellis depauperaverat, audito quod in VVendelsyſel, draco quidam ſuper theſauros jaceret, draconem ſolus adiit, & ſuperatum occidit, acceptiſque theſauris Britanniam, quæ nunc dicitur Anglia, Scotiam, Teutoniam, Slaviam, Ruſciam, & plurimas alias terras ſubjugavit. Poſtmodum in Scania pugnans, non manibus inimicorum, ſed æſtu & pondere armorum ſuffocatus interiit. Huic ſucceſſit *Haldanus* filius ejus.

IX. HALDANVS. Iſte cupiditate regnandi omnes fratres interfecit. Huic ſucceſſit *Roë* filius ejus.

X. ROE.

X. Roe. Iſte tranſtulit civitatem, quæ prius dicebatur *Hagekioping*, de loco qui dicitur *Hagebierg*, & ædificans eam in portu *Yſefiord*, vocavit *Roeskilde*, ſermone compoſito ex nomine ſuo, & ex fonte, juxta quem ſita eſt Huic ſucceſſerunt duo filii ejus *Haldan* & *Helgi*.

XI. Haldan & Helgi. Iſti diviſerunt inter ſe regnum; ita ut *Haldan* regnaret in terra, & *Helgi* in mari. Haldan vero pauca notabilia fecit. Huic ſucceſſit *Helgi* frater ſuus.

XII. Helgi Rex maximus. Iſte ſtrenuus bellator, *Hothbrodum* regem Sueciæ occidit. Teutonicos tertiùm ſubjugavit, & marinis diſcurſibus multa ardua perpetravit. Hic ad portum quendam Lalandiæ veniens, filiam cujuſdam ruſtici, nomine *Rolf Karl*, ſibi adduci fecit, de qua filiam genuit nomine Thora, ex qua dicta eſt Thororum inſula, quia ibi ſepulta eſt. Iterumque poſt 15 annos illuc veniens, prædictam filiam adduci fecit, neſciens quod filia ſua eſſet, ex qua genuit filium nomine *Rolf Kraki*. Cumque hoc poſtea cognoviſſet, præ nimia verecundia ſe ipſum ſuſpêdit.

XIII. Rolf Kraki, filius *Helgi*. Ipſe poſt multas prçclaras victorias ab *Hiartvvaro* Comite Scaniæ, qui ſororem ejus habuit in uxorem, in lecto ſuo proditioſe

ditioſe eſt occiſus, in *Lethra* Curia regali, in Selandia, cum quo & *Biarchi* & *Hialti*, pugiles clariſſimi, cum tota familia regia ſunt occiſi. Huic ſucceſſit *Hotherus*.

XIV. HOTHER. Iſte invenit in quondam nemore Sueciæ gladium, qui *mimming* dictus eſt, cum quo *Balder* occidit. Ab iſto *Hother* villa *Hotherſlef* dictà eſt, & illuc fugiens, occiſus eſt à *Boo* Rege Sueciæ. Huic ſucceſſit *Rörik* filius ſuus.

XV. RÖRICH. Huic ſucceſſit *Horvvendel*.

XVI. HORVVENDEL. Iſte vir valde victorioſus erat, & multa præclara geſſit. Hunc occidit frater ſuus *Fengi*; & regnavit.

XVII. FENGI. Iſte copulavit ſibi uxorem fratris occiſi. Hunc occidit *Ambletus* filius dicti *Horvvendel* in ultionem patris, & cum eo omnes meliores regni, cum tota Curia regali combuſſit, ita, quod unus ſuperſtes non fuit.

XVIII. AMLETHUS, qui vir aſtutiſſimus erat, regemque Angliæ bello occidit, & Daniam, Angliam, & Sueciam, in ditione ſua tenuit. Hunc *Wichletus* Rex Norvvegiæ vitricus ejus occidit in Oreſund, in prælio, & regnavit.

XIX. VVICHLETHUS. Iſte accepit uxorem

uxorem *Amblethi*, propria uxore repudiata. Huic ſucceſſit filius ejus *Wermundus hin blinde.*

XX. VVERMVNDVS *Blinde.* Hic vir bellicoſus erat. Hujus tempore *Keto* & *Wiggo* filii *Frovvini* præfecti Sleſvvicenſis occiderunt Athiſlum Regem Sueciæ, in ultionem patris ſui. Huic ſucceſſit Vffo Starke filius ejus.

XXI. VFFO *Starcke.* Iſte à ſeptimo anno ætatis, uſque ad trigeſimum noluit loqui; quouſque in loco, qui adhuc *Kunengikamp* dicitur, ſuper Eydoram cum filio regis Teutonicorum & meliore pugile totius Teutoniæ ſolus certans, ambos occidit, & ſic conditione utriuſque gentis, Teutonia Danis jam quarto tributariá facta eſt. Huic ſucceſſit *Dan* filius ejus.

XXII. DAN. Huic ſucceſſit *Huglet hin Lilde.*

XXIII. HVGLET. Iſte occidit *Hamothum* & *Hægrinum* tyrannos Sueciæ. Huic ſucceſſit *Frothi.*

XXIV. FROTHI *hin Frecne.* Iſte interfecit *Frogerum* regem Norvvegiæ, & decem duces ejus: Huic ſucceſſit *Dan* filius ejus.

XXV. DAN. Iſte ſeptimo anno ætatis ſuæ Teutoniam jam quintũ tributariam Danis fecit. Huic ſucceſſit *Frithlevus.*

XXVI.

XXVI. FRITHLEVUS. Iſte urbem Difflinum & Britanniam ſubjugavit. Huic ſucceſſit *Frothi* filius ejus.

XXVII. FROTHI *hin Fredegode*. Hujus tempore Ieſus Chriſtus natus eſt. Iſte ſubjugavit Sueciam, Britanniam, Hyberniam, Scotiam, Norvvegiam, Saxoniam, Friſiam, Vngariam, & omnia Orientis uſque ad Græciam, quorum reges & incolę omnes ſervierunt ei. Hujus tempore venit in Daniam *Erich Orthiloghe* & Rolf frater ejus, filii Regneri. Illi interfecerunt *Grep* cum quinque fratribus ſuis. Contra hunc Frothi venit rex Hunorum cum aliis 69 regibus, qui ex ſe 6 reges fecerant duces belli. Quorũ quilibet habuit ſub ſe 5000 navium, & quælibet navis habebat 300 armatos. Summa navium 30000. Summa virorum, novies mille millia hominum. Hos omnes occidit Frothi, pugnans cum eis in mari juxta *Bleking*. Hic tantam pacem in regno ſuo fecit, quod unam armillam auream juxta *Eydoram*, alteram juxta *Scanoer*, & tertiam juxta *Warthtingborg* in via communi ſuſpendit, nec erat qui eam nocte vel die auderet tollere. Hunc occidit una vetula. Huic ſucceſſit *Hiarno Skialdre*.

XXVIII. HIARNO. Iſte modico tempore regnavit; occidit enim eum

Frith.

Frithlevus filius *Frothi Fredegothe.*

XXIX. FRITHLEVUS filius *Frothi* Fretegothe. Iſte occidit *Amundum* regem Norvvegiæ & unum draconem. Poſt quem *Frothi* filius ejus regnavit.

XXX. FROTHI hin Frekne. Hujus tempore venit *Stercaterus* filius *Storvværki* in Daniam, qui interfecit *Wiſinum* gladiatorem apud Ruſciam, & *Tanam* gigantem apud Byzantium, & in Polonia *Waſe* pugilem, & in Saxonia *Hamam* pugilem, & Teutonicis infeſtiſſimus fuit adverſarius, & multa eis opprobria intulit. Iſte *Frothi* Teutoniam jam ſexto ſubjugavit; & multa alia præclara armis fecit. Hunc *Frothonem* occidit *Svertingus*. Huic ſucceſſit filius ejus *Ingellus*.

XXXI. INGELLVS. Hujus tempore *Stercather* interfecit ſeptẽ filios *Svvertingi*, in ultionem regis Frothi. Ipſius etiam tẽpore occidit *Arganturum* cum ſeptem fratribus. Huic ſucceſſit *Olaf* filius ejus.

XXXII. OLAF. Huic ſucceſſit *Haraldus* filius ejus.

XXXIII. HARALDVS. Hunc occidit frater ſuus *Frothi Rothbachne*, & regnavit.

XXXIV. FROTHI *Rothbachne*. Hunc interfecit *Haldan* hin Biergram filius

ſui

ſui fratris Haraldi, in ultionē patris ſui.

XXXV. HALDAN *Biergram*. Iſte ſtrenuus pugil fuit; unde provocatus à *Sivvaldo* pugile Sueciæ, ut contra eum & ſeptem filios ejus dimicaret, acceptavit, & omnes pariter occidit. Abjecto enim gladio, quercum radicitus avulſit, & cum ea omnes conquaſſavit. Alia quoque vice cum quodam gigante de Suecia, qui habebat undecim cubitos altitudinis, nomine *Harthbeen*, dimicans, occidit eum, & cum eo duodecim contubernales ejus, & multa alia præclare fecit. Huic ſucceſſit *Vngvin* frater ejus.

XXXVI. VNGVIN. Huic ſucceſſit *Sivvald* filius ſuus.

XXXVII. SIGVVALD. Hujus tempore *Sterkather* fugit de prælio. Hunc occidit *Hako*. Huic ſucceſſit *Sigerus* filius ejus.

XXXVIII. SIGERVS. Hic conſtituit bellum contra *Hakonem*, in quo ipſe & *Hako* pariter corruerunt. Huic ſucceſſit *Sivvald* filius ejus.

XXXIX. SIVVALD, poſt cujus mortem regnum Danorum in quinque regna diviſum eſt. *Borgardus*, qui habuit filiam *Sivvardi*, nomine *Role*, in uxorem, regnavit in Scania. *Hundenger* in Sialandia. Iſte ſemper impediendo

alios perdidit, & defendendo ſe vicit: unde & ex eo tractum eſt proverbium illud: *Hunder hiemme rigeſt*. *Hani* regnavit in Fyonia. *Hother* in Sunder-Iutia. *Reyner* in Nor-Iutia.

XL. HALDANUS *hin Serke* ſurrexit poſt *Borchardum* in regnum, & fuit valde ſtrenuus in armis. Hunc occidit *Weſetus* in Sialandia. Huic ſucceſſit *Harald Heldetan* filius *Borchardi*.

XLI. HARALD HYLDETAND. Iſte hos quinque reges occidit, & ita potens factus eſt, quod omnes reges contra mediterraneum mare ferebant ei tributũ; cui cùm *Ringer*, nepos ſuus, rex Sueciæ, tributum negaret, Sueciam intravit, ibique in bello corruit, & cum eo corruerunt *Vbbo* rex Friſonum, & alii plures reges, & 30 nobilium de exercitu ſuo. De exercitu vero *Ringer* regis 12 procerum corruerunt. Ibi cum Haraldo pugnaverunt 300 virgines, quæ *Skioldmoer* dictæ ſunt; quarum vexillum portavit *Hether*, quæ poſtea civitatem ædificans *Hæterby* appellavit. Huic *Haraldo*, poſtquam 50 annis regnaverat, ſucceſſit ei idem *Ringer* nepos ſuus.

XLII. RINGER. Huic ſucceſſit Harald frater ſuus.

XLIII. HARALD. Huic ſucceſſit *Oli* frater ſuus.

XLIV. OLI *hin Fracker.* Hic adeo agilis erat, quod ſcanſorium ad ſellam habere noluit. Iſte adeo efferus fuit, quod *Starchaterum* ſolo viſu ſuper genua proſtravit. Hic etiam Sueciam intravit, & provocatus ad ſingulare certamen, primo die contra unum pugnavit, 2 die contra duos, 3 contra tres, 4 contra quatuor, 5 contra quinque, & ſic uſque ad 11. & omnes ſuperatos occidit. Qui dum in *Latra* curia Sialandiæ ſederet in balneo, venit Starchater magno pondere auri corruptus à rege Sueciæ, & petita licentia loquendi aliquid ſecretæ regi, acceſſit, regemque nihil mali ſuſpicantem gladio transfodit. unde præ nimia verecundia, poſt tam vilem tanti viri occiſionem, ſe à lachrymis nunquam potuit continere, donec idem pondus auri, quod acceperat, occiſori ſuo, ut eum occideret, impendiſſet. Huic *Oli* ſucceſſit *Omunder* filius ejus.

XLV. OMUNDER. Hujus tempore *Starchcather* ſenio confectus indignum reputans more aliorum hominum in lecto mori ſine gladio, & præcipue propter occiſionem *Oli* regis, multis precibus perſuaſit cuidam *Hother*, cujus patrem ipſe occiderat, ut eum occideret, objiciens ei quod patrem ejus occiderat, quod ille vindicare teneretur; obtulitque

que inſuper memoratum pondus auri, pro mercede,& ſic *Other* victus ſpe mercedis & zelo vindicandi patrem *Starcatherum* gladio proprio, qui *skum* dicebatur, præciſa cervice, occidit apud pontem Scaniæ, qui *Wellingbrooe* dicitur, accinctuſque gladio, pontem tranſiens, cum eſſet in medio pontis, *skum* de vagina in aquam cecidit, nec inde levari potuit uſque in præſens; tamen aliquando videtur ibi in deflexu aquæ. Iſte *Stercather* venit de Suecia tempore regis Ingelli, portans congeriem carbonũ in dorſo ad acuendum, quemadmodum ipſe per jocum dicere ſolebat, naſum dicti regis, ut vindicaret patrem ſuum. Idem Starcather pertranſiit multas partes orbis pro prælio ſingulari: Vnde & Græci imaginem ejus æream in Italiam miſerunt, dicentes eos non poſſe ei reſiſtere, niſi haberent unum qui poſſet pugnare cum tali pugile. Hujus dens per *Henricum Æmalthorp* militem de Dania in Teutoniam eſt portatus pro miraculo, habens ſex pollices in magnitudine. Poſt *Omunder* regnavit *Sivvard* filius ejus.

XLVII. Sivvard. Huic ſe oppoſuit *Simon* præfectus Scaniæ,& tandem convenerunt in prælium, in quo utriſque viriliter certātibus principes ambo cor-

ruerunt. Poſt quem regnavit frater ejus *Butel.*

XLVIII. BVTEL. Poſt hunc regnavit *Iarmarus* filius Sivvardi.

XLIX. IARMARVS. Iſte valde bellicoſus erat: intravit enim Slaviam cum exercitu, & *Yſmarum* regem Slavorum occidit, & totam Slaviam vaſtavit. Poſtea Helleſpontici Daniam cum exercitu intraverunt, quibus *Iarmarus* rex occurrere non audens, munivit montem maritimum Scaniæ, qui *Kolle* dicitur, ibiq; cum melioribus regni ſe incluſit. Tandē cum regnum vaſtaſſent, exivit ad eos, & negocium fortunæ committēs, commiſit cum eis prælium in Oreſund, ibique corruit. Huic ſucceſſit *Brother* frater ejus.

L. BRODER. Poſt quem regnavit *Sivvald.*

LI. SIVVALD. Huic ſucceſſit *Snio* filius ejus.

LII. SNIO. Hujus tempore tanta fames erat in Dania, quod ex edicto regis omnes viri & mulieres, non apti ad portandum arma in bellis, occidebantur. Tandem ex conſilio cujuſdam mulieris Scanienſis nomine *Magge*, quilibet nonus homo exivit de regno, & omnes terras obtinuerunt uſque Romam. Iſti propter longas barbas, dicti ſunt *Longobardi,*

bardi, qui tandem terram quæ nunc *Longobardia* dicitur, intraverunt, ibique remanſerunt. Poſtea tempore Caroli Magni Apuliam obtinuerunt, ibique uſque hodie manent. Anno Domini 637 exierunt de Dania Dani qui modo dicuntur *Longobardi*. Poſt *Snio Biorn* regnavit.

LIII. BIORN. Huic ſucceſſit filius *Haraldus*.

LIV. HARALDVS. poſt quem *Gorm*, filius ejus.

LV. GORM. Iſte erat mirabilis inveſtigator novarum rerum, unde & aſſumptis 400 probiſſimis ſatellitibus, navigavit verſus Aquilonem ad ſedem *Geruthy*, ubi vidit ſtupenda mirabilia, & multa pericula paſſus eſt. Tandem conſumptis omnibus ſociis uſque ad 30 per diverſa monſtra, vix cum vita in Daniam redit. Huic ſucceſſit *Godric* filius ejus.

LVI. GODRIC *hin giefmilde*, qui & *Godefrith* dictus eſt. Hic bellicoſiſſimus erat, & totam Teutoniam jam ſeptimo tributariam fecit. Subjugavit etiã Sueciam & Friſiam.

Anno Domini 776 venit *Carolus* Imperator cum toto imperio ſuo contra *Godefrith* regem Daniæ, cui idem *Godefrith* ultra Albiam occurrens fugavit Carolum de Saxonia, & eam totam vaſtavit,

vit, quod eodem anno Saxonia converſa fuerat ad fidem Chriſti per Carolum, poſtquam contra Francos 36 annis continuis pugnaverat. Poſtea idem *Godefrith* fugato Imperatore è Saxonia vaſtata, ibidem à proprio milite cultro transfixus eſt in ventre. Poſt ipſum regnavit *Olaf* filius ejus.

L VII. OLAF dictus *Goddreng*. Huic ſucceſſit *Henning* filius ejus.

L VIII. HENNING regnavit 28 annis, qui cum Imperatore pacem faciens, Eydoram terminum regni ſui accepit. Huic ſucceſſerunt duo reges, *Ring* & *Sivvardus*. *Ring* regnavit in Iutia.

LIX. SIVVARDVS regnavit in inſulis. Iſti duo reges inter ſe diu pugnaverunt, & tandem in bello mutuo ambo corruerunt, quibus ſucceſſit in regnum *Reyner* filius *Ring*.

LX. REINER *Lodbroch*. Iſte ſubjugavit Angliam, Scotiam, Hyberniam, Norvvegiam, Svveciam, Teutoniam, Slaviam, Ruſciam & omnia regna occidentis; ita quod 9 filios ſuos ſingulos, in ſingulis terris reges fecit, & ipſe de uno regno in aliud inter eos pertranſivit. Tandem in Hybernia occiſus eſt, & filii ejus fere omnes in diverſis locis ſunt occiſi. Hic per 10 annos urbes Franciæ vaſtavit, & Pariſiis veniens in Eccleſia ſancti Germani,

mani, & Aquiſgrani in palatio Imperatoris ſtabulum equorum fecit, & multa mala Eccleſiæ intulit. Huic ſucceſſit *Inguar* filius ejus.

LXI. INGVAR filius *Lotbroki.* Iſte omnium fratrum ſuorum crudeliſſimus fuit. Cui ſucceſſit *Sivvardus.* Huic ſucceſſerunt *Anulo* & *Sigefridus.* Iſti duo nepotes fuerunt regis *Godefridi.* Inter quos pugna fuit 10 annis, & cum inter ſe de primatu regni convenire non poſſent, ſceptrum prælio diviſerunt, in quo reges ambo corruerũt, & cum eis 11000 hominum. Pars autem *Anulonis* cruenta victoria potita, *Reinfridum* & *Haraldum* in regnum poſuit, & facta eſt pugna inter eos IX annis.

LXII. HARALDVS tandem *Reinfridum* de regno expulit, & ſolus regnavit: Tunc filii *Sigefridi, Haraldum* de regno expulerunt. Qui ad Imperatorem *Lodevvicum* ſupplex confugit.

Anno Domini 826 baptizatus prædictus rex *Haraldus* apud Moguntiam cum uxore & fratre ſuo Erico, & per auxilium Imperatoris in regnum reſtitutus eſt, moxque Chriſtianitatem reliquit.

Anno Domini 828 *Sanctus Anſcarius* veniens ad Daniam, revocavit prædictum regem Haraldum ad Chriſtianitatem, & Eccleſiam in *Heideby* conſtruere

fecit. Poſt quem regnavit *Ericus* frater ejus.

LXIII. ERICUS. Iſte mox ut regnum accepit, Eccleſias claudi juſſit, ſed & omnes Eccleſias Franciæ, Friſiæ, Angliæ, Lothoringiæ, Teutoniæ, cum Epiſcopis & clero truncatis ſuccendit & deſtruxit. Hujus etiam tempore *Rollo* Dux Danorum Franciam intravit, & Carolum regem Franciæ compulit dare ſibi terrã, quæ nunc *Normannia* dicitur. Tunc ortum eſt bellum inter *Ericum* & filium fratris ſui *Guthorm* regem Norvvegiæ, in quo tanta cæde mactati ſunt utrique, ut vulgus omne caderet: ſed & reges ambo corruerunt, nec aliquis de ſtirpe regia remanſit, niſi unicus puer nomine *Erik Barn*.

LXIV. ERICH *Barn*. Iſte ut regnum Danorum ſuſcepit, multo plura mala fecit, quam patres ejus in omnibus regnis. Vaſtavit enim Saxoniam; *Brun* ducẽ occidit. & XII comites. Quia plures urbes cum civibus, Epiſcopi cum grege truncati ſunt, Eccleſiæ cum fidelibus incenſæ ſunt, *Theodoricus* & *Narvvardus* Epiſcopi truncati ſunt.

Anno Domini 902 *Arnulphus* Imperator Danis in Teutonia occurrens proſtravit ex eis 100 hominum, bello cœlitus adminiſtrato. Eodem anno obiit

Ericus

Ericus Barn, & regnavit pro eo *Olaf* rex Sueciæ. *Olaf* Rex Sueciæ vi & armis obtinuit regnum in Dania, & regnavit 5 annis. Huic ſucceſſit *Giurth* nepos Olavi, & ipſe natione Danus: & regnavit 5 annis. Hunc occiderunt Dani. Poſt quem *Lotheneknut*.

LXV. LODNEKNVD filius *Erici Barn*. Iſte bellicoſus erat multum & verſutus, & regnavit 11 annis. Hujus tempore quilibet tertius de ſervis & plebeis hominibus exivit de regno, & venientes totam Pruciam, Semigaliam, & terram Careloram, aliaſque quam plures terras ſubjugaverunt ſibi, & delectati terrarum ubertate noluerunt redire, ſed ibi remanent uſq; in pręſentem diem. Iſte *Lotheneknut* mortuus eſt paganus. Huic ſucceſſit *Frothi* filius ejus.

LXVI. FROTHI, victor Angliæ. Iſte 20 annis hæc duo regna tenuit; & in Anglia fecit ſe baptizari. Poſt quem filius ejus *Gorm*.

LXVII. GORM, *Engelender*. Hic dictus eſt *Gorm Hartesſnute*: & regnavit 4 annis, in Anglia baptizatus. Poſt hunc *Haraldus* filius ejus.

LXVIII. HARALDVS. Huic ſucceſſit *Gorm Gamle*.

LXIX. GORM *Gamle*, cujus uxor fuit *Thyre Danebod*, quæ poſt mortem ma-

riti nobiliter regnum tenuit, & munitionem. quæ *Danevvirki* dicitur, fecit lignis tantum. Iſti ambo mortui ſunt Pagani, ſepultique in duobus collibus juxta *Iellinge*. In diebus hujus Gorm, ferunt Danos incenſis Eccleſiis ſacerdotes ante altaria trucidaſſe, & clerũ vulgo mixtum, aut occidiſſe, aut in captivitatem duxiſſe. Cruces etiam truncatæ ludibrio ſunt habitæ à Danis. Anno Dom. 950. obiit Gorm Gamle. Cui ſucceſſit *Harald Blaatand* filius ejus.

LXX. HARALD BLAATAND regnavit 50 annis. Iſte cum exercitu magno ſubjugavit ſibi Angliam, & rediit. Tunc Imperator *Otto*, qui dictus *Otto Magnus*, paravit ſe ad invadendũ Daniam. Cumque legati ejus veniſſent Sleſvvic, Dani occiderunt eos, & unum Marchionem cum eis, ad quod ulciſcendum Imperator cum exercitu Daniam intravit. Et cum Haraldus rex in extremis finibus regni ſui erat, ſcilicet in Hallandia, Imperator totam Iutiam vaſtavit uſque mare, quod ab eo *Odeſund* dicitur. Ibi enim lanceam ſuam in mare miſit, ad perpetuam rei memoriam. Quo audito Haraldus vehementer commotus, verſus Iutiam feſtinavit cum furore magno. Quod intelligens Imperator fugit, & in *Lohete* ſuperveniens, Haraldus occidit

cidit *Ypponem* Ducem exercitus Imperatoris, reliqui vero Teutonici fugerunt. Quo facto ipſe de conſilio matris ſuæ vallum *Danevvirki* cœpit inſtaurare. Hunc *Haraldum* filius ejus *Suen* de regno expulit, quod ad prædicationem Popponis Capellani Domini Papæ baptizatus fuerat, cum quo pater ter conflictum habuit, & ſemper perdidit, & tandem miles filii patrem occidit in Scania, qui miles *Hako* dicebatur, & regnavit pro eo *Suen Tyugeskeg* filius ejus.

LXXI. SVEN TYVSKEG. Iſte propter ſcelera ſua à Slavis ter captus eſt, & redemptus, ſemel tanto pondere auri, quantum in armis ponderabat, & bis tanto pondere argenti; Noviſſime de regno expulſus, apud regem Sueciæ 14 annis exulavit. Tandem ad Chriſti fidē converſus baptizatus eſt, & mox Deo favente, regnum ſuum recipit, occiſo rege Norvvegiæ in *Meſund*, qui regnum ejus tenuerat, & ita *Suen* duo regna Daniæ & Norvvegiæ invaſit, & Angliam, & obtinuit illud regnum, & ibidem mortuus eſt, & portatus Roskildis, ibique ſepultus eſt. Huic ſucceſſit *Haraldus* filius ejus.

LXXII. HARALDVS. Iſte homo fuit effœminatus, & totus libidini deditus, hac de cauſſà Dani eum depoſuerunt de

regno,

regno, & *Gamleknud* fratrem ejus regem fecerunt, quod bellicoſus homo fuit, ſed tædio affecti ſuper eo, quod raro in regno fuit, & cõtinue extra regnũ in bellis, quod tamen pro gloria regni libenter tolerare debuiſſent, *Kanutum* depoſuerunt, & *Haraldum* effœminatũ & nihil valentem regno præfecerunt, qui tamen cito poſt mortuus eſt, & ſucceſſit ei dictus *Gamleknud* frater ejus.

LXXIII. GAMLE KNVD. Iſte cum mille navibus invadens Angliam, eam ſubjugavit. Eſtonicam etiam gentem ſubdidit, *Ricardum* etiam ducem Normanniæ de Francia expulit, & uxorem regis Anglorum expulſi & mortui accepit, & genuit ex ea filium, nomine *Hartheknud*, & filiam nomine *Gunnild*, quam *Henricus* filius *Conradi* Imperat. uxorem accepit.

Anno Do. 1028 S. Olavus rex Norvvegiæ martyrizatus eſt, cujus regnum obtinuit idem *Gamleknud* rex Daniæ, & regnavit ſuper tria regna, Danorum, Anglorum & Norvvegiæ. Fuit autem omnium regum pulcherrimus, ſtrenuiſſimus & largiſſimus. Hic primus religioſos in Daniam induxit, & multos Epiſcopos de Anglia in Daniam adduxit. Obiit autem *Gamleknut* anno regni ſui 33, relinquens tres reges filios: videlicet.

LXXIV.

LXXIV. Harte Knut in Dania; *Haraldum* ſpurium in Anglia, *Svvenonem* ſpurium in Norvvegia. *Harald* vero 4 tantum annis regnavit,& mortuus eſt. Cujus regnum *Hartheknud* rex ſuſcepit. *Sueno* vero 5 annis in Norvvegia regnans obiit. Cujus regnum accepit Magnus filius S. Olavi. Quod audiens *Hartheknud*, cum Anglis & Danis Norvvegiam intravit, ſed per amicos reconciliati ſunt Magnus & *Hartheknut* tali pacto, quod qui diutius viveret ſuperſtes,regnum defuncti acciperet.Iſte *Hartheknut* regnavit ſuper Daniam , Sueciam, Slaviam & Angliam. Qui præter quotidianam familiam ſuam 6 millia armatorum continue tenuit.Qui cum 60 longis navibus ad domandum regna æſtate diſcurrebant, hyeme vero in caſtris manebant, quibus quaſi religioſis, leges & ſtatuta præſcribebat honeſtatis: unde tempore ſuo ſuper omnes reges mundi terribilis & laudabilis exſtitit. Tranſivit etiam cum Imp. in Italiam ad domandum nationes exteras. Obiit autem in Anglia. Huic ſucceſſit *Suen Eſtreth* filius ſororis *Gamlekunt*.

LXXV. Sven Esthret, filius *Vlff* comitis Angliæ, regnavit poſt *Hartheknud*. Quod audiens *Magnus* rex Norvvegiæ prædictus, non immemor pacti

ſui

ſui quod fecerat cum *Harthe knut*, venit contra *Suen*, & vicit eum, & ſubjugavit ſibi. Sanctus tamen *Edvvardus* rex Angliæ frater *Suenonis*, coactus eſt tributum ſolvere, & declarare eum hæredem regni poſt ſe. Tunc iterum *Magnus* rex Norvvegiæ ad bellandum Suenonem venit, cum exercitu innumerabili, quaſi arena maris, navigio in *Oreſund*, ſed cum incaute de navi in navē transiret, cecidit in mare, & ſubmerſus eſt. Quo adito *Suen*, regnum ejus obtinuit. Item dum idem *Suen* in Norvvegia moram faceret, *Slavi* vaſtarunt Iutiam uſque Ripas. Qui caſu rediens de Norvvegia, hoſtibus cum præda exituris, prope *Sleſvvic* occurrit, poſtravitque ex eis 6 millia hominum, cæteris fugientibus.

Anno Dom. 1074 obiit rex *Suen Eſtreth*. Huic ſucceſſit *Harald* filius ejus.

LXXVI. HARALD filius *Suen*. Hujus tempore receſſit Anglia à dominio Danorum, poſtquam 120. annis continuis ſubdita fuerat Danis. Poſt hunc regnavit *Knut* frater ejus.

LXXVII. KNUT regnavit octo annis. Qui vir bonus erat, & multas Eccleſias in regno conſtruxit, & homines ad cultum Dei pro viribus induxit, ſed aliquas partes regni nunquam inducere potuit

ut ſolverent decimas. Cum expeditionem autẽ congregaſſet in *Fiſkebek* juxta *Wibergh*, ut Angliam debellaret, frater ejus *Olavus* Dux Iutiæ, totum diſſipavit proditioſe, & eũ occidi procuravit.

Anno Dom. 1083 ordo Cartuſienſium exordium ſumpſit.

Anno Dom. 1088 martyrizatus eſt *S. Kanutus* rex Danorum in *Othenſe* per proditionem fratris ſui *Olavi* Ducis, in Eccleſia S. Albani martyris, & frater ejus *Benedictus* cum eo. Cui ſucceſſit frater ſuus idem.

LXXVIII. Olavus. Hujus tempore facta eſt tanta fames in Dania, ut homines pro herbis agreſtibus litigarẽt. Nam ſegetes VII annis regni ejus per aëris intemperiem perierunt. Anno VII regni ſui inventus eſt in lecto ſuo ſubitanea morte præventus *Olaf Hunger*. Huic ſucceſſit *Erik Eigothe* frater ſuus.

Anno Dom. 1088 Tranſlatio S. Nicolai de *Myrra* in *Barum*.

Anno Dom. 1098 Exordium Cyſtercienſis Ordinis ſumpſit 12 Kal. Aprilis.

LXXIX. Erich *Eigode*. Qui ſic dictus eſt primo, quod mox, ut regnum accepit, tanta fertilitas terræ reddita eſt ut modius parvus cujuſlibet blandi non valeret ultra duos denarios uſuales. Secundo dictus eſt *Eigothe*, quod ita mag-

nus homo fuit. quod ſuper omnem populum ab humero & ſurſum videri potuit, habens in ſe fortitudinem quantam quatuor fortiores regni. Tertio quia ita bonus fuit regno, quod cum ad terram ſanctam proficiſci pararet, Dani tertiam partem omnium bonorum voluerunt dare terræ ſanctæ, pro redemptione crucis, ad hoc, ut ipſe in regno maneret, ſed noluit manere. Imo iter arripuit cum magna militia, & veniens Romam, Eccleſiæ Lundenſis Archiepiſcopatum & primatum ſuper tria regna obtinuit. Inde Conſtantinopolim veniens, ab Imp. Græcorum honorifice eſt receptus.

Anno Dom. 1100 ſedit Paſchalis II annis 18, menſibus 5, diebus 7.

Anno Dom. 1101 obiit *Ericus Eigothe*, in Cypro inſula, cum uxore ſua, ubi & miraculis corruſcant. Poſt quem frater ſuus *Nicolaus*. Ann. 1103 ASCERVS factus eſt primus Archiepiſcopus Daniæ.

LXXX. NICOLAVS rex cũ filio ſuo rege *Magno Kanutum* filium fratris ſui *Erici Eigothe* juxta Ringſteth occidit. An. 1130 Sanctus *Kanutus* Dux martyrizatus apud *Harreſtedt* à *Magno* fil. *Nicolai* regis. *Ericus* enim factus eſt rex in Scania. Eodem anno filius S. *Kanuti* regis Dux Flandriæ occiſus eſt à propriis militib⁹ in Eccleſia.

LXXXI.

LXXXI. Vivente adhuc prædicto *Nicolao* rege, filius ejus *Magnus* factus eſt rex Danorum & Gotthorum. Scanienſes vero elegerunt prædictum *Ericum Emund* filium *Erici* Eigothe in regem, contra quem venerunt reges *Nicolaus* & *Magnus* filius ejus, bello inito in *Fothvvick* anno Domini 1135. ubi corruit Magnus, & cum eo 6 Epiſcopi, quatuor de Iutia, unus de Syalandia, unus de Suecia, & multi nobiles de Dania cum eis. *Nicolaus* vero fugiens, venit *Sleſvvic*, ibique occiderunt eum ſutores Sleſvvicenſes. Huic ſucceſſit *Ericus Emund* memoratus.

LXXXII. ERICVS *Emund*. Qui cauſſa regnandi occidit *Haraldum* & liberos ejus.

Anno Dom. 1137 tenebræ factæ ſunt in Quadrageſima in omni terra. *Aſcerus* primus Danorum Archiepiſcopus obiit, & *Eskillus* electus eſt.

Anno Dom. 1139. *Ericus Emund* occiſus eſt quadam die in palatio, à quodam *Plog Sorte*. Huic ſucceſſit *Ericus Lamb* filius ſororis ejus.

Anno Dom. 1140 *Olavus* filius Haraldi, quem quædam pars fecerat regem, ſurrexit contra *Ericum Lam*. Et 4 Kalend. Aprilis tenebræ factæ ſunt per totum orbem.

Anno Dom. 1141 *Eſkillus* Archiepiſcopus poſuit *Olavo* obſides.

Anno Dom. 1142 bellum fuit *Diſſling* ter uno die, & uno anno tredecim vicibus inter *Ericum* & *Olavum*, & ſemper fugit *Olavus* ante *Ericum*.

Anno Domini 1143 *Olavus* occidit *Rikonem* Epiſcopum Roskildenſem. *Olavus Haraldi* filius in bello occiditur.

Anno Dom. 1144 *Ericus* ducit ſororem *Heinrici* Bremenſis Epiſcopi. Conventus miſſus eſt in *Herivadum* & in *Nidal*. Cæleſtinus Papa ſedit menſibus tribus: Lucius Papa duobus annis.

Anno Domini 1146 Eugenius Papa ſedit novem annis. Conventus miſſus eſt in *Lyuſçe* 7 Idus Iulii.

Anno Dom. 1147 Conventus mittitur in *Hofvathe*. Bellum fuit *Slangthorp*. *Ericus Lamb* obiit, factus monachus in *Denſch*. Quo mortuo Iutenſes nomen regis impoſuerunt *Kanutho* filio Magni. Scanienſes vero majoribus inſulis *Suenonem* filium *Erici Emund* elegerunt, & facta eſt pugna inter eos 12 annis.

Anno Dom. 1149 *Eſkillus* Archiepiſc. captus eſt à *Suenone* rege. Bellum fuit apud *Arcunæ* in Slavia.

Anno Dom. 1150 *Retillus* Propoſitus migravit VVibergum. Bellum fuit in *Slangsthorp*, & fugit Kanutus. Conventus

tus mittitur Cal. Maij, qui profeſſus eſt poſtea in *Eſrom.*

Anno Dom. 1151 bellum fuit *Wibergis*, & iterum fugit Kanutus.

Anno Dom. 1152 exulavit *Kanutus* in Ruſſiam, qui aſſumpto auxillo de Saxonia, pugnavit & fugit.

Anno Dom. 1153. *S. Bernardus* Abbas Clarevallis migravit. Conventus venit in Eſrom. *Kanutus* rex rediens de Ruſſia venit in Friſiam, ibique conſtruxit caſtrum *Mildeborgh* cum auxilio Friſonum. Quo audito Sueno cum tota expeditione Danorum venit *Sleſvvic.* & adductis inde navibus per terras uſque *Huchlſteth*, prædictum caſtrum *Mildeborgh* obſedit, & magnam partem Friſiæ incendio vaſtavit. Cui occurrens *Kanutus* cum Friſonibus ſuperavit eum in bello, in quo plurimi Scanienſes corruerunt cum aliis nobilibus.

Anno Dom. 1154 deſponſavit *Waldemarus* filius S. Kanuti *Sophiam* ſororem Kanuti regis. Dani omnes elegerunt duos reges, ſcil. *Kanutum* memoratum, & *Waldemarum* filium S. Kanuti. Tunc *Sueno* rex fugit in Saxoniam.

Anno Dom. 1155 Anaſtaſius Papa ſedit annis 3. Rediens de Saxonia *Sueno* cum Duce Henrico, venit *Simerſtach*, ſed fuga arrepta Dux cum rege iter 15

dierum veniendo ſub compendio duorum dierum fugiendo compleverunt.

Anno Dom. 1156 facta eſt inter reges pax, diviſo regno in tres partes. *Kanutus* obtinuit Iutiam, *VValdemarus* Scaniam, *Sueno* Sialandiam. Poſt paucos autem dies idem *Sueno* rex Sialandiæ invitavit Kanutum regẽ Iutiæ & VValdemarum regem Scaniç ad feſtum ſuum Roſcildis, ubi omnibus vino prægravatis, tempore nocturno cum adhuc chorea duceretur in Aula regia, occidit Kanutum Regem & Conſtantium cognatum ejus, in vigilia S. Laurentii. VValdemarus vero vulneratus fugit in Iutiam, quem Sueno inſecutus eſt cum exercitu.

Anno Dom. 1157 convenerunt *Sueno* & *Waldemarus* reges in campo, qui *Gratehede* dicitur, in prælio, in quo Sueno occiſus eſt, & ſepultus in Capella *Grathe*, & *VValdemarus* obtinuit monarchiam totius Daniæ.

Anno Dom. 1158 Adrianus Papa ſedit annis quatuor. *Abſalon* factus eſt Epiſcopus Roskildenſis. Conventus mittitur in *Viteſchola* Nonis Aprilis.

Anno Dom. 1160 Conventus venit in *Saby*.

Anno Dom. 1161 Conventus miſſus eſt *Soram* Idus Iulii.

Anno Dom. 1162 *Tuta* vallis funditur.

Anno

Anno Dom. 1163 natus eſt *Kanutus* filius *Waldemari* regis. Rex VValdemarus ivit ad conſilium Imperatoris *Metis*, ubi multos dolos Imperatoris expertus eſt, ſed ſuis ſtrenuiſſime & cautiſſime in omnibus ſe gerentibus nutu divino & directione Henrici Ducis Brunſvvicenſis fretus in Daniam ſanus rediit. Tunc rex malitias Teutonicorum prævenire volens, munitionem *Danevvirki* muro circumcinxit: ante enim lignis tantum munitus erat locus ille.

Anno Dom. 1164 conventus miſſus eſt in *Gutualiam* 6 Idus Septembr.

Anno Domini 1165 conventus venit in *Om*, quæ *Cara inſula* dicitur. VValdemarus ſubegit Slavos.

Anno Dom. 1167 *Buricus* captus eſt, & effoſſis oculis caſtratus.

Anno Dom. 1170 natus eſt *Waldemarus*, filius *VValdemari*. S. Thomas Archiepiſcopus Angliæ martyrizatus. Rugia à Danis adquiſita eſt, & ad fidem Chriſti converſa. Iarmarus baptizatus. Leges Danorum editæ ſunt. Conventus mittitur in Dobran Cal. Martii.

Anno Dom. 1171 S. Kanutus Dux & martyr tranſlatus eſt Ringſtet.

Anno Dom. 1172 Conventus venit in *Dargun* & in *inſula Dei*.

Anno Dom. 1173 Conventus venit

in locum Dei qui dicitur *Loum*. Chriſtophorus Dux obiit. Maximus terræ motus fuerat in Dania.

Anno Dom. 1174 Conventus venit in *Colbar*, qui dicitur *Meravallis*, 4 Nonas Febr.

Anno Dom. 1176 caſtrum *Stettin* à Danis obſeſſum eſt.

Anno Dom. 1177 S. Margareta Roskildis paſſa eſt. Kanutus filius VValdemari primi factus eſt rex Scaniæ & Hallandiæ parte innuente & conſentiente.

Anno Domini 1178 *Eskillus* ſecundus Archiepiſcopus Daniæ receſſit, factus monachus Clarevallis. *Abſalon* fit Archiepiſcopus. Eodem anno ſol obſcuratus eſt, in vigilia S. Crucis, feria quarta.

Anno Dom. 1180 obiit S. Nicolaus in *Arhus*. Bellum fuit in *Flyſæ*.

Anno Domini 1181 rex *Waldemarus* occurrit *Fritherico* Imperatori apud *Thraven*, ubi duas filias ſuas maritavit, unam filio Imperatoris, aliam Comiti Sifrido, ubi etiam obtinuit ab Imp. dominium totius Nordalbingiæ, hoc eſt, omnium terrarum ad Aquilonaré partem Albiæ, ſuper quo habuit literas Imperiales cum bulla aurea, & literas Papales, videlicet domini Innocentii Papæ tertii, de confirmatione dictæ collationis pro jure perpetuo habendæ, ſed has literas

literas poſt mortem regis, Abel quædam mulier Teutonica, filia diaboli, in odium Danorum deſtruxit.

Anno Domini 1182 obiit *VValdemarus*, filius Sancti Kanuti Ducis, anno regni ſui 25. Poſt quem

LXXXIII. KANVTVS filius ſuus. Obiit etiam *Eskillus* Archiepiſcopus in Clarevalle.

Anno Domini 1184 expeditio facta eſt in *VVolgaſt.*

Anno Domini 1186 conventus miſſus eſt in *Oliciam* Obiit Suno Ebbonis.

Anno Domini 1187 Hieroſolyma à Soldano capitur, & Chriſtiani delentur. Eclipſis ſolis facta eſt.

Anno Domini 1188 Sanctus *Kanutus* tranſlatus eſt. Dux *VValdemarus* factus eſt miles.

Anno Domini 1189 expeditio facta eſt in Slaviam.

Anno Domini 1190 obiit *Magnus Vlf.* Conventus mittitur in *Reigneveld* Kalend. Novemb.

Anno Domini 1191 expeditio facta eſt in Flandria, quam vicerunt Dani.

Anno Domini 1192 *VValdemarus* Epiſcopus, nullo cogente, regi ſe opponens, ivit in Norvvegiam. Indeque rediens cum 35 longis navibus, captus eſt, & in turri *Somburg* poſitus, ubi ſedit 14

 annis.

annis. Conventus mittitur in *Gulholm.* Petrus Sunonis fit Epiſcopus. Primum incendium in *Eſrom.*

Anno Dom. 1194 Conventus venit *Aſylum.* Expeditio facta eſt in *Eſtoniam.* Comes *Adulphus* factus eſt homo regis tributarius Daniæ.

AnnoDom. 1195 Conventus venit in *Olivam.* Gregorius VIII diebus 33 ſedit. Ventus vehemens fuit.

Anno Dom. 1196 Clemens Papa ſedit duobus annis. *Kanutus* rex duxit exercitum in Eſtoniam. Obiit *Gerthrud* regina.

Anno Dom. 1197 Ordo ſanctæ Trinitatis incepit.

An. Dom. 1198 Innocentius Papa III ſedit an. 19. Obiit Sophia regina. Petrus Epiſcop⁹ captus eſt & frater ejus Thorbernus occiſus. Terræ motus fuit in Dania.

Anno Dom. 1200 Ordo fratrum Minorum incepit. Caſtrum Reynsberg acquiſitum eſt, & Thitmerskia.

Anno Dom. 1201 obiit *Abſolon* tertius Epiſcopus Daniæ, & conſecratur Andreas.

Anno Dom. 1202 Sanctus VVilhelmus Abbas migravit. Comes Adolphus captus eſt. Caſtrum Seghebergh acquiſitum eſt 2 Idus Novembris. Obiit Kanutus rex filius *VValdemari*, & Comes Albertus factus eſt miles.

LXXXIII.

LXXXIII. VVALDEMARVS coronatus eſt in regem eodem anno.

Anno Dom. 1203 comes *Adolphus* liberatus eſt, poſitis obſidibus ad decem annos. Redditū eſt caſtrum *Lovemborg*.

Anno Dom. 1204 expeditio facta eſt in Norvvegiam per regem VValdemarum, qui *Erlingum* conſtituit ibi regem, & Philippum ducem, qui ambo facti ſunt homines regis, apud *Thunsbyargh*. Obiit *Eslernus Snare*. Secundum incendium in *Eſrom*.

Anno Dom. 1205 rex VValdemarus duxit *Dagmar* filiam regis Boemiæ in uxorem. Dani Albiam tranſeuntes deſtruxerunt *Ertenborg*.

Anno Dom. 1206 VValdemarus Epiſcopus liberatus eſt ad preces *Daghmar* reginæ, ita tamen quod juravit ſe nunquam Daniam intraturum. Poſtea vero factus Archiepiſcopus Bremenſis, cum ſe regi opponeret ad inſtantiam regis VValdemari, depoſitus eſt & excommunicatus à Papa. Andreas Archiepiſcopus duxit exercitum in Revaliam.

Anno Dom. 1207 Conventus venit in *Tuta* inſula. VValdemarus fugavit Imperatorem.

Anno Dom. 1208 Dani corruerunt in *Lene*. Rex VValdemarus caſtrum *Byzenburg* deſtruxit. Pons ultra Albiam

factus. Caſtrum *Hereborg* juſſu VValdemari factum eſt.

Anno Dom. 1209 natus eſt VValdemari III filius II. Conventus mittitur in *Dargun* de *Doberam*.

AnnoDomini 1210 expeditio facta eſt in *Pruciam* & Samland. *Miſtvvin* Dux Poloniæ factus eſt homo regis. Svverkerus rex Svveciæ occiditur. Conventus venit de *aurea inſula* in *Rus regium*.

Anno Domini 1211 Dani caſtrum *Dymin* reædificant, & *Nyeenborg* deſtruunt.

Anno Domini 1212 obiit *Margareta* regina, quæ propter præcipuam formæ pulchritudinem dicta fuit *Daghmar*.

Anno Domini 1213 obiit *Iohannes* filius *Esberni Snare*.

AnnoDomini 1214 Petrus ſeniorRoſkildenſis Epiſcopus & Nicolaus Epiſcopus Ripenſis objerunt. Comes Guncellinus & Comes Henricus frater ejus, terram à Rege receperunt, & ei fidelitatem juraverunt. Dani obtinuerunt caſtrum *Stetin*, & caſtrum Marchionis *Muten*. Rex VValdemarus ſecundas nuptias celebravit cum Berengária ſorore Ferandi Comitis Flandriç, quç *Beengerd* eſt dicta.

LXXXIV. Anno Domini 1215 VValdemarus tertius eligitur in regem. Imperator Otto fidem violans, & contra jura-

juramentum ſuum veniens, Holſatiam ſibi ſubigere volebat: contra quem venit Rex VValdemarus cum exercitu copioſo, habens ſecum de ſolis Friſonibus ſexaginta millia hominum: quo audito Imperator non eſt auſus expectare congreſſum belli, ſed fugit ultra Albiam, perditis in ſingulari certamine duobus melioribus pugilibus Imperii, quos dejecerunt duo Friſones, videlicet *Suen Sterke* & *Brother Ganling*.

Anno Dom. 1216 Petrus filius Iacobi fit Epiſcopus Roskildis. Gelu ſuper Albiam viam præbente, rex VValdemarus cum exercitu tranſivit ad terram Henrici Comitis Palatini, quam vaſtavit incendio, donec eam ſibi totam ſubjugavit. Item duo caſtra contra *Hamborg* conſtruxit, & tandem civitatem cepit. Natus eſt *Ericus* filius VValdemari regis, cui pater eodem anno ducatum Iutiæ contulit, & *Nicolao* filio illegitimo comitatum Hallandiæ.

Anno Domini 1217 Comes Albertus ex mandato regis VValdemari ædificavit caſtrum *Travenemunde*, & Dani caſtrum in *Frithsbierg* conſtruunt.

Anno Domini 1218 obiit Imperator Otto. Rex VValdemarus convocatis totius regni primis 15 Epiſcopis, tribus Ducibus & tribus Comitibus, Abbatibus etiam

etiam aliiſque quam plurimis, VValdemaro filio ſuo in Sleſvvic diadema regni impoſuit. In feſto B. Iohannis Baptiſtæ obiit Comes Nicolaus.

Anno Dom. 1219 rex VValdemarus congregato exercitu permaximo, cum mille quingentis longis navibus *Eſtoniam* intravit, & poſt multa bella totã terram illam ad fidem Chriſti cõvertit, & Danis ſubdidit uſque in præſens.

Anno Dom. 1221 obiit *Berengaria* mater regum Erici, Abel & Chriſtophori. Obiit *Rikece* regina.

Anno Dom. 1222 *Gregorius* Cardinalis fuit in Dania. *Andreas* Archiepiſcopus ceſſit. Abbas *Gunnerus Clara* inſulæ electus eſt in Epiſcopum.

Anno Dom. 1223 rex VValdemarus, una cum filio ſuo VValdemaro tertio à ſuis proditi, capti ſunt in lectis ſuis à comite Henrico in inſula *Lydoe*, & in Slaviam ducti in caſtrum *Zucrin*, manſerunt ibi fere per triennium, & tunc redempti ſunt per Danos pro 60 millibus marcarum in pondere Lubecenſi, ſed equi, veſtes, & alia jocalia, quæ dederunt omnibus melioribus Saxoniæ, in die exitus ſui in duplo plus valebant.

Anno Dom. 1224 *Petrus Saxonis* fit Archiepiſcopus. Obiit Andreas Camerarius.

Anno Dom. 1225 obiit *Petrus Iacobi* Epiſco-

Epiſcopus Roskildenſis. Cui ſucceſſit *Nicolaus Stig.*

Anno Dom. 1226 ſoluti ſunt duo reges. Obiit Sanctus Franciſcus. Multi *Friſones* corruerunt in *Thidmerskia*, & tamen *Thidmerskia* Danis ſubjugata eſt.

Anno Dom. 1227 in *Bornhovit* Dani corruerunt. Nam *Thidmarskienſes* in ultimo exercitus collocati, proditionem facientes, exercitum Danorum, cum quibus erant, à tergo percuſſerunt. Gregorius IX Papa ſedit.

Anno Dom. 1228 Andreas & Petrus Archiepiſcopi objerunt.

Anno Dom. 1229 rex VValdemarus III celebravit nuptias cum filia regis Portugaliæ *Elienora*, Ripis, in feſto beati Iohannis Baptiſtæ.

Anno Dom. 1230 *Otto* Cardinalis fuit in Dania. *Vffo* fit Archiepiſcopus. Eclipſis ſolis, & peſtilentia hominum & jumentorum magna fuit.

Anno Dom. 1231 obiit Rex VValdemarus III filius VValdemari ſecundi, & Regina *Elienora* cito poſt eum, in partu.

LXXXV. Anno Domini 1232 ERICUS rex filius VValdemari ſecundi, coronatus eſt à Domino *Vffone* Archiepiſcopo, & frater ejus *Abel* ducatum Iutiæ accepit. Eodem anno *Fratres Minores* nudis pedibus Daniam intrave-

traverunt, & domum Ripenſem fundaverůnt.

Anno Dom. 1233 *Esbernus Snerling* obiit. Obiit piæ memoriæ *Nicolaus* Cancellarius, Epiſcopus Sleſvvicenſis.

Anno Domini 1234 *Fratres minores* domum acceperunt. *Sleſvvick, Lunden* & *Roskild* igne perierunt.

Anno Dom. 1236 VValdemarus Epiſcopus obiit, humilis monachus in *Lyke*. Conventus miſſus in *Paradiſo*.

Anno Dom. 1237 Dominus Petrus Abbas *Ruris Regii* omnes poſſeſſiones dictæ domus eatenus acquiſitas cum villicis & colonis omnibus abſolute libertati reſtituit, ab omni impetitione exactoria & jure regio eximens eos, pro quinquaginta tribus marcis denariorum uſualium, quas Domino *Abel* inclyto Duci Iutiæ pro jam dicta exolvit libertate, ita quod non ſit ejuſdem Ducis poſteris liberum nec licitum hanc pactionem aliquo tempore infirmare, juxta inteſtationem privilegii Principis memorati. Eodem anno Dux *Abel* duxit *Mathildem* filiam Comitis, quod rex VValdemarus pater moleſte tulit, timẽs per hoc futurum ſchiſma inter fratres; quod & evenit. Nam ab illo die nunquam defecit bellum inteſtinum in Dania inter reges & Duces, Comitibus eos

inſti-

inſtigantibus, qui ſemper quærunt mala Daniæ. Bellum fuit in *Scannoer* inter Danos & Normannos. Tempeſtas fuit in die ſancti Clementis.

Anno Dom. 1238 Tranſlatio S. VVilhelmi abbatis in *Æbelholt*.

Anno Domini 1239 rex Ericus duxit *Judith* filiam Ducis Saxoniæ in uxorem, cum quibus diſpenſatum eſt in quarta linea conſanguinitatis, per dominum Papam Gregorium. Hieroſolyma capitur à paganis.

Anno Domini 1240 *Seulo* Dux Norvvegiæ cum filio occiſus eſt à rege Haquino.

Anno Domini 1241 obiit inclytæ recordationis rex *Waldemarus* II in cœna Domini: in cujus morte vere cecidit corona capitis Danorum. Nam ab illo, bellis inteſtinis & deſtructioni mutuæ vacantes omnibus in circuitu nationibus facti ſunt in deriſum. ſed & terræ quas patres eorum gladio ſuo glorioſe acquiſierant, non ſolum ab eorum dominio receſſerunt, verum & plagas maximas regno intulerunt, & illud miſerabiliter confuderunt. principibus regni reſiſtentibus, ſexies ſe invicem lacerantibus & vaſtantibus. *Ericus* rex filius VValdemari II monarchiam Daniæ obtinuit. Eclipſis fuit. *Petrus Stigi* obiit.

Anno Dom. 1242 ortum eſt bellum inter fratres *Ericum* regem & *Abel* Ducem. Clauſtrum *Ringſlath* igne periit.

Anno Dom. 1243 clauſtrum monialium *Roskild* incenſum eſt. Innocentius IV ſedit.

Anno Dom. 1244 Rex Ericus duxit exercitum *Kolding*.

Anno Dom. 1245 generale concilium fuit Lugduni. Nicolaus Epiſcopus Roskildenſis fugit de Dania.

Anno Dom. 1246 Iacobus Sunonis obiit. Rex Ericus movit exercitum contra fratrem ſuum, illo cum exercitu Teutonico occurrente; ſed treguæ factę ſunt ad tempus.

Anno Dom. 1247 *Sora* & *Holbech* igne perierunt. Othonia à Teutonicis incenſa eſt. Rex Ericus oppidum *Svvineborg* occupavit.

Anno Dom. 1248 *Copenhaven* à Lubecenſibus incenſa eſt. Obiit *Olavus* pincerna. *Nicolaus* Epiſcopus Roskildenſis obiit in *Clarevalle*.

Anno Dom. 1249 obiit Ericus. Rex Sueciæ obiit.

Anno Dom. 1250 Dux *Abel* fratrem ſuum *Ericum* regem proditioſe captivavit in *Sleſvvick* in nocte beati Laurentii, quem qũidam miles ejuſdem ducis, *Lagho Gutmund* ſcilicet, navigio

depor-

deportavit uſque Myoſund, ibique eum occidit, & duce ignorante eum in *Slia* ſubmerſit. Eodem anno *Waldemarus* filius Ducis *Abel*, à ſcholis Pariſiis domum pergens, captus eſt per milites Domini Epiſcopi Colonienſis.

LXXXVI. Dux ABEL in regem electus eſt & coronatus.

Anno Dom. 1251 *Fredericus* Imperator obiit. Obiit Comes *Nicolaus Ludevvicus*. Rex Franciæ captus eſt, & frater ejus Robertus occiſus.

Anno Dom. 1251 Rex *Abel* cum exercitu intravit *Eiderſted* ad pugnandum, ibique occiſus eſt. Obiit *Vffo* Archiepiſcopus.

LXXXVII. CHRISTOPHORUS fit Rex anno Domini 1253. Rex *Chriſtophorus* tradidit *Waldemaro* filio Regis *Abel* Ducatum cum vexillo apud *Kolding*. Bellum fuit *Skelfiſchoer* inter regem *Chriſtophorum* & *Heinricum Emelthorp*.

Anno Domini 1254 Innocentius Papa IV Alexander Papa conſecratus. Iacobus fit Archiepiſcopus, & *Petrus* Epiſcopus Roskildenſis.

Anno Domini 1257 *Hagvinus* rex Norvvegiæ fuit in Dania. obiit *VValdemarus* Dux.

Anno Domini 1258 Rex *Ericus* ab

Eccleſia S. Petri transfertur à *Chriſtophoro* fratre ſuo Epiſcopo, *Nicolao* abſente. Bellum fuit inter regem & ruſticos. Civitas Repin judicio Dei cum omnibus attinentiis periit.

Anno Domini 1259 captus eſt *Iacobus* Archiepiſcopus Lundenſis, & carceratus in caſtro *Hakenſcog*. Obiit Chriſtophorus in civitate *Ripenſi*. Poſt quem

LXXXVIII. ERICVS filius ejus regnavit, qui multa mala fecit, Eccleſias ſpoliando, læſis & injuriam paſſis juſtitiam nullam faciendo. Monaſteria quoque, quæ patres ejus per ſe & ſuos ædificaverant, per equos & canes miſerabiliter attenuavit. Comites Holſatiæ magnam partem ducatus vaſtaverunt. *Iarmarus* Princeps *Ryanorum*, magnam partem *Sialandiæ* vaſtavit.

Anno Domini 1260 *Iarmarus* fecit ſtragem magnam ruſticorum apud *Neſtvvich*. Qui etiam eodem anno obiit. Olavus Epiſcopus occiditur. Dux *Ericus* filius *Abel* regis receptus eſt in ducatum.

Anno Dom. 1261 bellum fuit *Lohete* inter regem *Ericum* filium *Chriſtophori* & *Ericum* ducem filium *Abel*, in vigilia ſancti Olavi, & contrita eſt pars regis, qui ibidem captus eſt cum matre ſua *Margareta* regina.

Anno Dom. 1262 Rex *Ericus* traditur

tur Marchionibus. Regina liberata eſt. Dux de *Brunſvvik* fuit in Dania. Eclipſis ſolis fuit Nonis Auguſti. Epiſcopus *Nicolaus* captus eſt.

Anno Dom. 1263 *Ivvarus Taki*, & *Petrus Fyn*, ſuſpenſi ſunt. Epiſcopus *Nicolaus* liberatus eſt.

Anno Dom. 1264 Rex *Ericus* venit de captivitate. *Arvveſcogh* deſtruitur.

Anno Dom. 1265 Clemens Papa IV ſedit. *Iacobus* Archiepiſcopus curiam adiit. Obiit *Nicolaus* Epiſcopus Sleſvvicenſis. Electus eſt *Bondo*.

Anno Dom. 1266 venit *Guido* Cardinalis in Daniam, & excommunicavit regem & reginam. *Byrger* Dux Sueciæ obiit.

Anno Dom. 1267 obiit Domina *Ingiborg* de *Kalaenborgh*. Conſecratus eſt Epiſcopus Bondo.

Anno Dom. 1268 Iacobus Archiepiſcopus ſecundo curiam adiit. Caſtrum in Kolding ædificatum eſt. Clauſtrum *Loum* igne periit.

Anno Dom. 1269 captus eſt *Conradus* nepos Fretherici Imperatoris, & decollatus eſt. Obiit Clemens Papa.

Anno Dom. 1270 vacabat ſedes Romana, Eclipſis ſolis fuit in mane Lætare Hieruſalem.

Anno Dom. 1271 combuſta eſt civi-

tas Ripenſis. Obiit Lodevvicus rex Franciæ. Domicellus Nicolaus obiit.

Anno Dom. 1272 obiit dux *Ericus*, & redditus eſt ducatus Erico regi cum filio Ducis. Andreas pincerna obiit. Creatus eſt Papa Gregorius qui colligavit Eccleſiam. Eodem anno XII kalendis Septembris Teutonici occupaverunt civitatem *Sleſvvick* multitudine copioſa, & 6 Kalendas quibuſdam de exercitu amiſſis cum magno ſpolio & præda pecorum diverſi generis receſſerunt. Obiit *Guido* Cardinalis. Obiit Duciſſa *Margareta* in partu.

Anno Dom. 1274 obiit Eſgerus Epiſcopus Ripenſis. Obiit dominus *Michael* abbas Ruris regis. Comes *Rodulfus* electus eſt in Imperatorem.

Anno Dom. 1274 obiit *Iacobus* Archiepiſcopus Lundenſis. Generale concilium Lugduni celebratum eſt. Et tota Græcia ad fidem eſt converſa.

Anno Dom. 1275 duæ turres Eccleſiæ S. Petri in *Sleſvvick* corruerunt, & magna pars ejuſdem Eccleſiæ. Obiit Dominus Iohannes Abbas. A cardinali relatum eſt interdictum per regnum Daniæ. Expeditio facta eſt ad Sueciam, & victi ſunt Sueci.

Anno Domini 1276 obiit Erlandus Archiepiſcopus electus Lundenſis, & ſucceſ-

ſucceſſit *Thrugotus* XI Archiepiſcopus. Obiit Papa Gregorius. Innocentius ſedit. Poſt quem Otto bonus ſedit quinque ſeptimanis. Ericus dux Sueciæ obiit. *VValdemarus* rex Sueciæ exulavit in Dania cum uxore & filiis.

Anno Dom. 1277 creatus eſt Papa Iohannes XXI. Obiit *Petrus* Epiſcopus Roskildenſis, & *Stigotus* eligitur.

Anno Dom. 1278 rex *VValdemarus* rediit ad Sueciam, filio pro obſide relicto. Obiit Papa Iohannes.

Anno Dom. 1279 Domicellus *Abel* & Dux Albertus de *Brunſvvick* objerũt.

Anno Dom. 1280 obiit Nicolaus Papa III. Obiit *Thrugotus* Archiepiſcopus Lundenſis, & ſucceſſit Iohannes *Droos* X. Obiit *Stigotus* Epiſcopus Roskildenſis, & ſucceſſit *Ynguarus.*

Anno Domini 1281 creatus eſt Pāpa Martinus.

Anno Domini 1282 obiit *Bondo* Epiſcop. Sleſvvicenſis. Electus eſt Iacobus. Major Eccleſia Roskyldenſis ſuccenſa eſt. Lis oritur inter regem Ericum & Principes.

Anno Dom. 1283 pax reformatur *VVarthingborg.* VValdemarus filius Erici ducis ducatum obtinuit, & Iacobus comitiam Hallandiæ. Iacobus Epiſcopus Sleſvvicenſis privavit mo-

nachos *Ruris regis* decimis, & nonnul-
los eorundem fecit verberari.

Anno Domini 1284 conventus do-
mus *Ruris regis* diſperſus eſt.

Anno Domini 1285 Rex *Ericus* filius
Chriſtophori captivavit *Waldemarum*
Ducem Iutiæ & ejus dapiferum.

Anno Dom. 1286 Dux VValdemarus
reſtituitur de captivitate. Rex Ericus
occiſus eſt in lecto, in nocte S. Ceciliæ,
à ſuis, quos maxime dilexerat, inflictis
ſibi vulneribus quinquaginta ſex. Obiit
Iohannes Epiſc. Orconenſis. Clauſtrum
monialium incenſum eſt.

Anno Dom. 1287 convocato conſi-
lio regni, Dux VValdemarus recepit
omnia quæ pater ejus habuerat ante
eum. Obiit *Iacobus*, tyrannus plus, quam
Epiſcopus dicendus. Orta eſt magna diſ-
ſenſio inter meliores regni de morte re-
gis. Eodem anno in Pentecoſte conſi-
lium celebratum generale in *Nyborg*. Co-
mes *Iacobus Stygotus* Marſcalcus, *Petrus
Iacobi*, & alii plures potentiores regni,
ex communi omnium decreto, vel ad-
dicti ſunt pro morte regis, vel proſcrip-
ti. Quos collegit *Ericus* rex Norvvegiæ
in caſtro *Kungel*. Eodem tempore Dux
Waldemarus factus tutor regni. Eodem
anno

LXXXIX. ERICVS filius Erici regis
coro-

coronatur in die natalis Domini. Hic dictus *Erik Menvved.*

Anno Dom. 1288 *Stygotus* Marſcalcus cum ſuis multa mala fecit in Norjutia clandeſtinis incurſibus. Obiit Domina *Mechteldis* regina. Dux *Waldemarus* duxit filiam Ducis Saxoniæ uxorem ſuam in Daniam, cum qua priori anno celebraverat nuptias in *Molne Sleſvvik* periit igne proprio; quam Dux VValdemarus muniri fecit in circuitu, ex lignis quæ tulerat de caſtro *Gottorp*; & deſtrui fecit caſtrum *Gottorp*, quod pater ejus Dux Ericus ſumptibus maximis ædificaverat, & erat quaſi clavis & cuſtodia totius Daniæ. Caſtrum *Almetorp* deſtructum eſt.

HACTENVS ERICVS REX DANIAE.

VII.

HISTORIA COMPENDIOSA AC SVCCINCTA SERENISSIMORVM DANIÆ REGVM:

Ab incerto auctore conſcripta: poſtea vero ad CHRISTIANVM IV *deducta, & antehac in lucem edita,*

Opera & ſtudio

ERPOLDI LINDENBRVCH.

I. DAN.

PRIMVS Danorum rex *Dan* eſt appellatus. à quo etiam regnum appellationem eſt ſortitum. Ideoque *Dania* ex primo Rege *Dan* nuncupatur. Hic ex uxore *Gritha*, ſummæ inter Teutones dignitatis matrona, genuit duos filios, *Humblum* & *Lotherum*.

II. HVMBLVS.

Secundus Rex HVMBLVS, *Lother* fratris tyrannide conſternatus, contempto Regni diademate, è Rege privatus eſt factus. Nam in bello à fratre captus regni depoſitione vitam mercatus eſt.

III. LO-

III. LOTHERVS.

Tertius Rex LOTHERVS Humbli frater. Hic ex Rege Tyrannus factus, omniſque nobilitatis extinctor, ab eiſdem occiditur à quibus fuerat regno donatus.

IV. SKIOLDVS.

SKIOLDVS quartus Rex, Lotheri filius, naturam à patre, non mores ſortitus eſt, & factus inſignis patriæ amator, atque egregius juſtitię cultor. Siquidem impias leges abrogavit, ſalutares tulit. Qui cum ſpecioſiſſimã puellam ex Teutonibus ſingulari certamine meruiſſet, interfecto *Scato* ſatrapa ejuſdem competitore, ex eadem genuit filium *Gram*, ac tandem morte naturali periit.

V. GRAM.

Quintus Rex GRAM Skioldi filius, qui poſt glorioſas victorias & egregia facinora, à filio ſuo *Suigdagero* primo è Norvvegia pulſus, deinde in Dania occiſus eſt, ſubſtituto in Regem filio ſuo *Guttormo*, quem ſibi tributarium fecit Suigdagerus.

VI. GVTTORMVS.

Sextus Rex fuit GVTTORMVS, filius Gram, qui fratri ſuo Suigdagero apud Norvagienſes & Suecos regnanti tributarius fuit, brevique tempore regnans mortuus eſt.

VII. SVIGDAGERVS.

Septimus Rex fuit SVIGDAGERVS, qui accepto poſt fratris cineres regno paterno, ab altero fratre nomine Hadingo viro fortiſſimo in ultionem paterni ſanguinis eſt apud *Gutlandiam* navali bello peremtus.

VIII. HADINGVS.

Octavus Rex HADINGVS fuit, tertius filius Gram. Iſte Hadingus poſt interemptum fratrem parricidam, ac multas generoſas victorias, ſuſpendio ſe vulgo inſpectante extinxit, ut parem gratiam referret Hundingo Suecorum regi, cui extincto promiſerat ſe non ſupervicturum.

IX FROTO Geffmild.

Nonus rex Hadingi filius FROTO Geffmild, id eſt, liberalis, cognominatus. Iſte Froto cum multa liberalitate factus eſſet inſignis, multiſque victoriis glorioſus, adverſus regem Sueciæ pugnans in bello finivit vitam.

X HALDANVS.

Rex HALDANVS Frotonis filius, duorum fratrum ſuorum factus eſt infamis interfector, diuque regnans in ultima ſenectute mortuus eſt.

XI ROE.

Rex ROE primus Haldani filius, qui pacem magis quam arma doctus, ſtuduit

duit magis ornare acceptam ditionem, quam illius fines propagare. Deſtructo igitur oppido Bogeburg, ædificavit in Selandia Roſchildiam civitatem, nomẽ illi imponens ex ſuo nomine Roe, & famatiſſimi ejus urbis fontis, qui lingua vernacula *Kylde* dicitur. Hic poſtquam diu regnaſſet, ab *Halvvardo* Suecorum rege interfectus occubuit.

XII. HELGO.

Rex Helgo Roe frater, qui poſt multas victorias, quibus triumphaverat adverſus *Scalcum* VVandaliæ regem, atque filium ducis Saxoniæ, quem interfecit, etiam occidit regem Sueciæ *Halvardum* fratris ſui *Roe* interfectorem. Porro cum illi exploratum eſſet, quod cum propria dormiſſet filia, nimio pudore confuſus ſeipſum perdidit, propriis manibus ſibi mortem inferens.

XIII. ROLVO.

Rex Rolvo *Krage* nuncupatus, liberaliſſimus extitit, cui Suecia fuit multis annis tributaria. Hic à genero ſuo *Hiartuaro* Suconum rege perfidiſſimo per dolum in arce *Lethra* interfectus eſt.

XIV. HIARTVARVS.

Hiartvarvs Rex decimus quartus, eodem die quo doloſe Roluonem Regẽ occiderat, occiditur & ipſe à *Viggone* milite Roluonis Regis fideliſſimo.

XV. HOT-

XV. HOTTERVS.

Rex HOTTERVS, qui poſt Hiartuarũ ſumpto utriuſque imperio glorioſe regnavit, factus etiam gigantum & falſorum deorum victor inſignis. Iſte Hotterus erat multis egregiis artibus inſtructus, præcipue vero adeo callebat omne Muſicorum genus, ut gaudio, mœſtitia, miſeratione, vel odio mortales afficere noverit. Tandem interfectus periit.

XVI. BALDERVS.

Rex BALDERVS à ſtultis hominibus etiam Deus creditus. Is poſtea ab Othino rege interfecitur in ſinu quodam, qui in hodiernum diem à prædicto Baldero dicitur *Balderſunt*.

XVII. OTHINVS.

Rex OTHINVS, ob artes magicas, quas callebat & exercuit, divinas laudes à barbaro & ſtulto populo promeruit: Cujus nomine etiam unum hebdomodæ diem inſignivit. Qui tandem in *Fionia* occiditur, & ſepelitur juxta amnem quendam, ubi Othonia civitas, ab eodem Othino appellata, ſita eſt.

XVIII. RORICIVS.

Rex RORICIVS, *Slingenbond* appellatus, Othini filius, regnavit inglorius, deficientibus ab eo Suecis & Germanis, qui patris paruerant imperio, morteque naturali defunctus eſt.

XIX. VVI-

XIX. VVIGLETVS.

Rex VVigletvs Tyrannus, Amlethi victor & interfector. Hunc VVigletum, habentem regni moderationem tranquillam & diutinã, morbus conſumſit.

XX. VVERMVNDVS.

Rex VVermvndvs VVigleti filius. Is poſt diutinum regimen & interfectũ Suecorum regem, ob ſenium & cæcitatem à Saxonibus contemptus eſt, quem contemptum egregie ultus eſt Vffo filius ejus, jam ex diſſimulato muto ac ſtulto factus non ſolum vir facundus, ſed etiam fortiſſimus. Solus enim pugnans adverſus gigantes duos, utrumq; peremit, ademto Danis probro, quo exprobrati ſunt à Suecis, quod illorum regem ſolum offenſum interfecerunt gigantes, Dani duo.

XXI. VVFFO.

Rex VVffo VVermundi filius, etiam Olavus manſuetus à quibuſdam dictus. Hujus præclara geſta ob ſcriptorũ inopiam ſolemnem fefellere notitiam, quæ creduntur glorioſa fuiſſe, quorum principia tam plena laudis fuerunt.

XXII. DAN II.

Rex Dan Vffonis filius, nimirum ingloriu filius glorioſiſſimi patris. Sic interdum (ait Saxo) pignora portentis ſimilia à majoribus ſuis deſciſcũt. Omnia

enim paterna bona & quæ regio ſplendori ſervire debuerunt, in flagitiis ac turpitudine conſumpſit.

XXIII. HVGLETVS.

Rex HVGLETVS. Qui *Homothum* & *Hogtinium* duos Sueciæ Tyrannos maritimo fertur oppreſſiſſe conflictu.

XXIV. FROTHO II.

Rex FROTHO, *Vegetus* dictus. Qui cum factus eſſet glorioſus cæde decem fortiſſimorum ducum in Norvvegia, tandem regem Norvvegiæ *Frogerum* ſingulari certamine peremit.

XXV. DAN III.

Rex DAN Frothonis filius egregiam retulit victoriam de rebellantibus Saxonibus, unde eoſdem ſibi fecit tributarios, qui illum habere tributarium contendebant.

XXVI. FRIDLEVUS.

Rex FRIDLEVVS cognomento *Celer*. Iſte fertur regnaſſe tempore Iulii Cæſaris, cum quo etiam dicitur fœdus pepigiſſe, reverſo Iulio, nec audente cum Fridlevo pugnare ob publicam famam, quæ tum narrabat apud Danos eſſe viros fortiſſimos.

XXVII. FROTHO Fredegoedt.

Rex FROTHO, cognomento pacis auctor, Fridlevi filius, deſignatus rex ſub providentia curatorum, cum eſſet iam ſeptem

ſeptem annorum. Igitur principio regni ejus gubernatoribus male agentibus, tanta erat vitæ licentia, ut nec legibus, nec pudore cohiberetur obſcœna aulicorum petulantia. Verum adulto rege Frothone, mutatæ ſunt vices rerum: evaſit enim regnum ipſius non ſolum divitiis, æquitate & legibus glorioſum, ſed etiam incredibilibus quibuſdam victoriis clariſſimum. Cujus memoria etiam nunc celebris eſt, tametſi apparet ipſum regnaſſe ante quindecim ſecula: Nimirum eo tempore, quo in Bethlehem Iudææ ex virgine matre natus ſit Dei filius, homo factus.

XXVIII. HIARNERVS.

Rex Hiarnervs, qui cum eſſet obſcuris parentibus natus, ſuffragiis tamen populi diadema regni promeruit, tanquam præmium ornati ſepulchri ipſius Frothonis. Nam Frothonis ſepulchrum grandi ſaxo, inſcripto Epitaphio, ornavit: ob quod regno ab incolis donatus eſt. Qui paulo poſt à Fridlevo Frothonis filio, Ruthenorum Rege, eſt interfectus.

XXIX. FRIDLEVUS II.

Rex Fridlevus Frothonis filius. Hic cum regnaret apud Ruthenos, audita patris ſui morte, primum ſuccurrit præfecto Suecorum adverſus duodecim gigantes Norvvegiæ. quibus interfectis

præter

præter unum *Biornomen*, in Daniam profectus eſt. Cujus adventum audientes Dani, quem vano rumore mortuum credebant, jubent *Hiarnerum* regno cedere. Iſte Fridlevus rex factus, interfecit *Aſmundum* Norvvegiæ regem, ac paulo poſt naturali morte defungitur, relicto ex *Frogertha* uxore filio Frothone, cognomento *Largo*.

XXX. FROTHO IV.

Rex FROTHO Fridlevi filius, cognomento *Largus*. Hujus principatui multi gigantes parebant, inter quos præcipuus erat *Starcatherus*, multorum gigantum peremptor, atque mirabilium rerum effector. Igitur cum hic Frotho glorioſiſſimum habuiſſet regnum multis annis, à *Suertingo* quodam Saxoniæ regulo doloſe ad convivium vocatus occiditur, viciſſim occiſo Suertingo. Suertingi enim ſcelus amborũ interitus fuit.

XXXI. INGELLUS.

Rex INGELLUS Frothonis filius, ſed tanto patre prorſus indignus, quia luxu, libidine, & crapula adeo perditus erat, ut evaſerit omnium ignaviſſimus. Adeo ne cogitavit de patris doloſa morte ulciſcenda, ut filiam Suertingi patris interfectoris uxorem duceret. Cujus conſuetudine tam mollis & delicioſus effectus, ut omnem avorum ſuorum gloriam

prorſus obſcurarit. Tandem Starcatheri exprobrationibus provocatus, occidit in ultionem paternæ cædis ſeptem Suertingi filios, quos ſecum habebat in gratiam uxoris quotidianos convivas. Periit autem rex iſte naturali morbo in *Lethra* ſede regali, juxta quam ſepultus legitur.

XXXII. OLAVS I.

Rex OLAVS, quartus Ingelli filius. Hic cum multis annis regnavit, nullam laudem tamen apud poſteros promeruit. Sub finem vitæ nihilominus prudenter duobus filiis diviſit regnum & imperium; Haraldo maris imperium, Frothoni vero terræ regnum tribuens.

XXXIII. HARALDVS I.

Rex HARALDVS Olai filius, cui maris contigit imperium, à fratre Frothone dolo occiditur, ut ſolus regno potiretur.

XXXIV. FROTHO V.

Rex FROTHO Haraldi frater. Qui nullo facinore clarus, etiam conatus eſt Haraldi filios extinguere, ne ullus eſſet parricidii ultor: qui tamen magno artificio ſuorum curatorum ſervati ſunt donec adoleviſſet: adulti vero facti, cum

regiam Frothonis ſubjectam undique igne incendiſſent, Frotho fugiens ad opacos quoſdam receſſus, dudum conſtructos, vapore & fumo ſtrangulatus interiit.

XXXV. HALDANVS II.

Rex HALDANVS, Haraldi filius, & patrui ſui Frothonis interfector. Hic cum tribus annis regnaſſet, relicto regno fratri ſuo Haraldo, Sueciam invaſit, vicit & occupavit. Ericus rex Sueciæ occupaturus Daniam tribus prœliis victus eſt ab Haraldo Haldani fratre. Quarto vero prælio victor effectus Haraldum occidit. Sed ab Haldano poſtea victus & interfectus, vita ſimul & regno privatus eſt. Erat hic Haldanus corpore adeo robuſtus, ut clava immenſæ magnitudinis ferro undiq; circumſepta in bello uteretur, qua multos aliorum regum gigantes occidit. Ab hoc Haldano, qui ex inclyta matrona *Thorilda* genuit Aſimundum Norvvegiæ regem, omnes poſtea Norvegiæ reges, magni æſtimant duxiſſe originem, ad eundem ſuam genealogiam referentes.

XXXVI. HVGVINVS.

Rex HVGVINVS Haldani nepos, cui regias opes teſtamento legavit, regemque conſtituit. Hic Huguinus poſtea ab æmulo, cui *Regnaldo* nomen erat, bello oppreſ-

oppreſſus erat & peremptus, unico filio *Syvaldo* relicto.

XXXVII. SYVALDVS I.

Rex SYVALDVS, cui filia erat *Syritha*, puella non ſolum ſpecioſa valde, ſed omnium illius ſeculi puellarum pudiciſſima, quæ nupta cuidam *Otharo* viro fortiſſimo, attulit patrię magnum libertatis præſidium. Syvaldus igitur pugnans adverſus Regnaldum, patris ſui interfectorem, perpetuum triduum, Othari generi ſui fortitudine victor evaſit. Otharus enim interfecto Regnaldo in fugam convertit gigantes plures quam quadraginta, inter quos erat Starchaterus, qui ſemper contempta quavis ſævitia, fuerat omnibus periculis major.

XXXVIII. SYGARVS.

Rex SYGARVS ſuccedit patri ſuo *Syvaldo*. Hic habebat filiam *Signe* nomine, cujus ſtuprum ab *Hagbarto* proco perpetratum, peperit patri interitum. Nam ut rex Hagbartum ob filiæ ſtuprũ laqueo perdidit, ita viciſſim ab Haquino, *Hagbarti* fratre, perẽptus occubuit.

XXXIX. SYVALDVS II.

Rex SYVALDVS poſt fratrem Sygarum. Hujus temporibus pugnatum eſt tam acriter adverſus patris ſui peremptorem *Haconem*, ut ex regio ſanguine ne unus quidem remaneret, præter ſo-

lam *Iuritham* Alfi filiam, Sygariq; neptem. Videntes igitur Dani regium ſemẽ defeciſſe, regnum popularibus tradunt, creatis ex plebe principibus. *Oſtmarus* præficitur Scaniæ, *Hundingus* Sielandiæ, *Hano* Fioniæ, *Roricus* Aquilonari Iutiæ, & *Halterus* Auſtrali. Interea *Gumarus* rex Sueciæ interfecto *Regnaldo* rege Normannorum, *Drottam* Regnaldi filiam rapuit, quæ ab eodem ſtuprum capere coacta, filium procreat *Hildigerum*, crudelitate patre majorem. Verum paulo poſt *Borcarus* quidam, occiſo Gumaro, eandem *Drottam* ſibi connubio ſociat, ex qua *Haldanum* illum fortem Iurithæ procum genuit.

XL. HALDANVS III.

Rex HALDANVS cognomento *Fortis*, qui multis victoriis glorioſus evaſit, Iurithamque accepit uxorem, interfectis duodecim gigantibus Iurithæ cuſtodibus, occiſo etiam ſponſo ejuſdem primo die nuptiarum, ex qua poſtquam genuit Haraldum *Hulletand*, à *Weſeto* pugile Seilandico interfectus eſt.

XLI. HARALDVS *Hiilletand*.

Rex HARALDVS *Hiilletand* patri ſuo Haldano ſucceſſit, qui mox interfecto *Weſeto* patris ſui peremptore, adeo auxit Gothorum imperium, ut omnia Occidentis regna uſque ad mare mediterraneum

neum illi ſubjecerit. Vnde ab aliis ſcriptoribus vocatur *Alaricus*, qui tempore Valentis Imperatoris dicitur vaſtaſſe univerſam Italiam, adeoque Romam ipſam: fugientibus tamen ad Baſilicas Apoſtolorum, morte juſſit eſſe parcendum, nocturna viſione admonitus de apparentibus ſibi Apoſtolis Petro & Paulo, eo cultu, quo ad illum venerat Romanus Pontifex, pro urbe legatus ad procurandam pacem. Veriſimilius eſt tamen, huncAlaricum non fuiſſe verum Gottorum regem, ſed vice-regem tantum, quales multi tunc erant, ſed omnes parentes Haraldi imperio, qui erat rex Gottorum principalis. Iſte Haraldus viribus potentiſſimus, multiſque regnis dives, pugnans adverſus Ringonem nepotem ſuum rebellantem, quem regno Sueonũ prȩfecerat, interfectus occubuit.

XLII. RINGO.

Rex RINGO Haraldi nepos. Sed brevi tempore regnans, Scania Suecorum regno applicata, puellam quandam nomine *Hetham* præfecit Sielandiæ, ac cæteris regni Daniæ provinciis. Hic Suecis dicitur *Haquinus* Ring, qui victo Haraldo, Scaniæ præfecit quendam virum fortiſſimum, *Olonem* nomine. *Hetha* puella fortiſſima regnavit in Sielandia, *Fionia* & Iutia, nomine regis. Ve-

rumSielandenſes probroſum rati parere fœmineis legibus, *Olonem*, quem Haquinus Ring Scaniæ præfecerat, regem poſtulant. Iutiæ utriuſque ergo principatum tenuit *Hetha*, ſub tributo tamen ſerviens Oloni.

XLIII. OLO.

Rex OLO tantam exercuit tyrannidem, ut ſuperior reginæ & puellæ contemptus cunctis pœnitentiam pareret. adverſus quem cum duodecim duces conſpiraſſent, deſtituti viribus & ingenio, *Starcatherum* pecunia aſciſcunt, qui acceptis centum vigintique auri libris, Tyrannum balneis utentem adeoque inermen confecit. Huic Oloni tanta erat oculorum acies, ut ſolo viſu terrefaceret etiam viros fortiſſimos: Nec Starcatherus confectorem egiſſet, niſi rex Olo ſimulata feritate vultum mutaſſet, de Starcathero non aliud ſuſpicans ob longam familiaritatis experientiam, quam illum eſſe ab inſidiis alieniſſimum.

XLIV. OMVNDVS.

Rex OMVNDVS Olonis filius. Hic poſtquam maturuit, in nullo (inquit Saxo) paternis operibus defectior extitit. Siquidem res ab Olone geſtas, aut æquare, aut tranſcendere, curæ habuit: In ſuis tamen tyrannidem non exercuit.
Hujus

Hujus temporibus *Starcatherus*, voluntarie ab Hatero quodam interfectus, occubuit.

XLV. SYVARDVS I.

Rex SYVARDVS Omundi filius fuit infortunatiſſimus: Siquidem illius temporibus invaſerunt Sueci Scaniam, vicerunt, occupaverunt. Sic Germani quoque totam Iutiam. Igitur pugnans adverſus illum, qui Scaniæ erat præfectus, occiſus eſt, occiſo ſimul & Scaniæ præfecto.

XLVI. BVTHLVS.

Rex BVTHLVS Syvardi frater, ob mentis ignaviam coactus eſt advenienti *Iarmerico* regnum tradere. Sicque ex rege privatus evaſit.

XLVII. IARMERICVS.

Rex IARMERICVS multis victoriis glorioſus apud Slavos, quos frequenter rebellantes, etiam frequenter victos, rurſum Danorum poteſtati ſubjecit, tandem ſeductus delationibus cujuſdam calumniatoris, cui *Bicconi* nomen erat, ſpecioſiſſimam uxorem ſuam nomine *Suavvildam* regis Helleſponti filiam ob ſtupri ſuſpicionem à *Biccone* falſo intentatam tradidit equorum calcibus proterendam: qua re magis fuit illius obſcurata gloria, quam prioribus victoriis illuſtrata. Nam ob hanc cauſam ab

uxoris fratribus, amputatis ſibi primum pedibus, & manibus, interemptus eſt.

XLVIII. BRODERVS.

Rex BRODERVS Iarmerici filius, parum idoneus ſuccedit in regnum.

XLIX. SYVALDVS III.

Rex SYVALDVS nullius præclaræ rei auctor.

L. SNIO.

Rex SNIO Syvaldi filius. Hic patriæ res non ſolum ſervavit, ſed etiam diminutas in priſtinum ſtatum revocavit. Scaniam quoque à Danicæ juriſdictionis integritate ſemotam, ad ſocietatem patriæ victoria inſigni reduxit. Hic regis Sueciæ uxorem vi rapuit magno regni detrimento. Hujus temporibus exorta gravi fame, exiit è regno grandis exercitus, qui ſuperatis Alpibus, proximam illius Italiæ partem, quæ nunc *Longebardia* dicitur, ab eiſdem vocabulum ſortita, quod eſſent longis barbis, invadentes occupabant, ac interfectis omnibus viris, relictas uxores accipiebant. Vnde crevit totaLongebardorum poſteritas. Hæc autem feruntur facta anno ſalutis 586.

LI. BIORN.

Rex BIORN nullo egregio facinore inſignis.

LII. HARALDVS III.

Rex HARALDVS Biornonis filius rerum ſummam aſſequitur.

LIII. GORMO I.

Rex GORMO Biornonis filius. Huic inter priſcos Danorum duces non infimæ laudis locum rerum ſtrenue geſtarum titulus tribuit. Nam quæ de hoc Gormone feruntur, ſunt penitus incredibilia · cujus curioſitatem in perveſtigatione ſecretarũ ac mirabilium rerum omnes admirantur.

LIV. SIGEFRIDVS.

Rex SIGEFRIDVS Gormonis filius, Godefridi frater, cujus ſororem VVidekindus Saxonum Rex, ſeu unus ex primoribus *Weſtfalorum*, poſteà duxit, ex qua genuit *Witpertum*. Hic legatos ſuos miſit ad Carolum Magnum, anno Chriſti IↃ CCLXXXVII, caſtris poſitis ad *Lippiæ* fontem cum omni Francorum exercitu conſedentem, atque per dies non paucos ibidem morantem.

LV. GOTRICVS.

GORMONIS filius rex GOTRICVS non armis modo, ſed etiam liberalitate conſpicuus, incertum, fortior an clementior fuerit: adeoque ſeveritatem manſuetudine temperabat, ut alteram altera rependere videretur. Hujus tẽporibus CAROLVS MAGNVS, victricia trans Rhe-

num caſtra receperat, cui Gotricus gravia intulit bella: qui cum proprii ſatellitis proditoria manu interiiſſet, Carolus Magnus effuſo gaudio exultavit, nihil eo caſu unquam fortunæ ſuæ jucundius obveniſſe confeſſus.

LVI. HENNINGVS.

Rex HENNINGVS, cujus dignum memoratu opus (inquit Saxo) non reperi, niſi quod pacem cum Cæſare Ludovvico jurisjurandi firmitate compoſuit.

LVII. OLAVVS II.

Rex OLAVVS Gotrici filius. Hic interfecto patris ſui peremptore, ab aliis bellis abſtinuit. Mortuus vero ſepultus fuit apud *Lethram*, illius ſeculi regiam.

LVIII. SIVARDVS II.

Rex SIVARDVS regis Norvvegiæ ex filia Gotrici filius, Scanis, Sielandiſque fautoribus, regnat. Nam conſobrinus ejus *Ringo*, idemque Gotrici nepos, Iutiam occuparat: qui tandem mutua cæde ſunt extincti.

LIX. REGNERVS.

Rex REGNERVS, *Lodbrog* dictus, Syvardi filius. Hic erat multis ſtratagematibus admirabilis, multis etiam victoriis glorioſus, Chriſtianorum tamen acerrimus hoſtis & perſequutor. Periit captus in Hibernia, & ſerpentum lacui adjudicatus.

LX. HARALDVS.

Rex HARALDVS *Klach* tyrannide Regneri fugit ad Ludovvicum Imperatorem, cujus pietate factus eſt Chriſtianus, roboratuſque Saxonicis auxiliis primus in territorio Sleſvvicenſi templum Deo dicandum ſollicite & impenſe conſtruxit, poſt ſextum tamen annum factus eſt religionis Chriſtianæ infamis deſertor. Regnavit annis 16.

LXI. SYVARDVS III.

Rex SYVARDVS Reginfridi, *Saxoni* Regneri, cognomento *Lodbrog*, ſummis totiusDanicę concionis ſuffragiis, paternum apprehendit imperium. Hujus inter alia præcipua laus eſt, quod paternæ necis vindicem egit acerrimum. Erat autem vir ut animo acer, ita viribus robuſtus, cujus fortitudinem & acrimoniam inde vel maxime poſſumus perpendere. Nam paternæ necis accepto nuncio, haſtile quod forte manu tenebat, altius pedi ſtupefactus immerſit, mœroris magnitudine corpoream negligente moleſtiam. Quo facto ſimul fortitudinem mœroremque detexit, fortunam ſuam inter calamitoſum filium conſtantemque virum partitus. At poſt editas late ſtrages, domeſtica claritate contentus, toga quam armis illuſtris haberi maluit, omiſſoque caſtro-

rum

rum cultu, ex acerrimo tyranno exactiſſimum pacis cuſtodem gerere cœpit; tantum decoris in otio atque vacatione conſtituens, quantum ante in victoriarum frequentia repoſitum autumabat. Adeo autem ſtudiorum ejus mutationem fortuna favorabiliter proſecuta eſt, ut ſicut ipſe neminem, ita nec ipſum quiſquam hoſtiliter laceraret.

LXII. ERICVS I.

Rex ERICVS Haraldi frater, regnavit annis XIV. Hujus temporibus, commiſſo prælio adverſus *Guttornum* patruelem ſuum, periit omne ſemen regium, uſque ad unicum Syvardi filium nomine *Ericum Barnn*: quo prælio uterque *Ericus* & *Guttornus*, cum innumeris aliis interemptus eſt.

LXIII. ERICVS II.

Rex ERICVS Sivardi filius, dictus *Barnn*, principio regni ſui religioſiſſimum quemque aut ſuppliciis inſequi, aut rebus exuere, exilioque mulctare perſeveravit. Sed paulo poſt prædicante beato *Anſgario* Archiepiſcopo Bremenſi, ſacrilegæ mentis errore depoſito, Chriſtianiſſimus evaſit. Regnavit annis, ut quidam volunt, quadraginta ſex, & primus Ripis Baſilicam conſtruxit. Hujus temporibus erant Principes homines crudeliſſimi, graſſantes incredibili ſævitia,

vitia, non ſolum in Dania, ſed in Anglia quoque & Hibernia, omnes filii Regneri Lodbrogi, quorum hæc ſunt nomina, *Ericus, Orebicus, Godofredus, Inguarus, Vbbo, Vlfo* & *Biorno*. Iſti fratres duce *Inguaro*, qui omnium fratrum fuit crudeliſſimus, primo Norvvegiam ſibi ſubjiciunt: Deinde in Angliam venientes, duos reges occiderunt, duoſque fugarunt: Poſtea ſanctus Emundus rex ab Inguaro captus, ligatus, & flagellatus, noviſſime vero decollatus eſt. Inde recedens dimiſit claſſem cum aliis novem regibus Aquilonis, ex quibus quoſdam deſtinavit in Germaniam, quoſdam vero in Galliam, qui omnes fere urbes Galliæ & Germaniæ aut ſubegerunt, aut deſtruxerunt, templa cum cleris vaſtantes, omnem quoque populum ſibi reſiſtentem, cum mulieribus & pueris, in ore gladii trucidantes. Dum hæc aguntur, moritur *Ericus Barnn*, relicto unico filio *Lodneknut* adhuc infante. quæ audiens Olavus rex Sueciæ, cum grandi exercitu Daniam invaſit, vicit & occupavit, quinquennio poſſedit, factus rex ſexageſimus quartus.

LXIV. SIVARDVS IV.

Rex SIVARDVS Olavi nepos regnat x annis, tandem à Danis interfectus.

LXV. LOD-

LXV. LODNEKANVTVS.

Rex LODNEKANVTVS Erici filius. Hic ex deſperato pene adoleſcente, auctor inſperatæ probitatis evaſit. Hoc vero deflendus, quod abſque Chriſtianæ religionis inſignibus mortem vita commutavit.

LXVI. SVENO I.

Rex SVENO *Langefod* Canuti filius, regnat novem annis.

LXVII. FROTO VI.

Rex FROTO Suenonis frater. Hic Angliam vicit, ubi & fidem Chriſti edoctus, Chriſtianiſſimus evaſit. Volens igitur communem eſſe toti Daniæ hanc fælicitatem, miſſo legato ad *Agapitum* ſecundum pontificem Romanum fidei doctores poſtulavit: ſed priuſquam rediiſſet legatus, in Domino mortuus eſt, cum regnaſſet in Dania & Anglia annis viginti.

LXVIII. GORMO I.

Rex GORMO Frothonis filius regnat quatuor annis. hujus tempore defecerunt à Danis Angli, pro quorum recuperatione nihil fortiter conatus eſt.

LXIX. HARALDVS V.

Rex HARALDVS Gormonis filius, ob hoc egregiorum operum vacuu , quod regiarum opum (inquit Saxo) ſervator magis, quam propagator extiterit.

LXX. GOR-

LXX. GORMO III.

Rex GORMO acerrimus Chriſtianorum perſequutor: hos enim puniebat aut capitis ſupplicio, aut exilio damnabat, aut facultatibus exuebat. Templum etiam in fundo Sleſvvicenſi à Chriſtianis conditum, tanquam ſacrilegum aliquod impietatis domicilium ab imis fundamentorum partibus demolitus eſt. Hic regiam majeſtatem magis ſervavit, quã auxit. Qui cum poſtulaſſet uxorem filiam *Hedelradi* Anglorum regis, nomine *Thyram*, cognomento *Dannebod*, non antea impetravit quam polliceretur ſe Chriſtianum fore, ex qua genuit duos filios, *Canutum* & *Haraldum*. Hic *Canutus* adeo erat patri dilectus, ut audita filii morte protinus expiraverit.

LXXI. HARALDVS Blaatand VI.

HARALDVS *Blaatand* Gormonis filius. Hujus temporibus, Otto Imperator depopulatus eſt totam pene Iutiam: quo fugato ac fœdere cum illo facto, factus eſt Haraldus rex Chriſtianiſſimus. Poſt hæc THYRA mater regis: quo redderet patriam tutiorem à clandeſtinis exterorum irruptionibus, quantum à Sleſvvico ad occidentalem Oceanum patet, vallo foſſaq; proſcindere aggreſſa eſt. Cui poſtea VValdemarus rex & Abſolon Epiſcopus coctos lateres ſuperſtruxe-

ſtruxerunt, reficientes nova ſtructura lapſus veteris valli. Iſte Haraldus cum multis annis regnaſſet, à filio Suenone *Tüvveskeg* regni affectatore, interfectus eſt per quendam *Tokonem*. cujus corpus Roskildiam miſſum, apud ſacrarium, nuper ab ipſo conditum, ſolemnem ſepulturæ locum recepit.

LXXII. SVENO.

Rex SVENO, *furcatæ barbæ*. Hic conſilio impiorum quorundam nominis Chriſtiani hoſtium, interfecto patre Haraldo, gaviſus eſt ſe nactum eſſe occaſionem ſæviendi in divina: ſed infeliciſſimis caſibus afflictus & flagellatus, tandem reſipuit, factus Chriſtianus & ipſe, *Poppone* quodam diacono rem Chriſtianam adjuvante, edito apud Danos inſigni miraculo. Is enim ad fidei Chriſtianæ confirmationem, candens ferrum nudis manibus illæſus cunctis ſtupentibus portavit. Hujus Suenonis beneficio habent mulieres in regno Daniæ jus hæreditarium. Hic Sueno tres Epiſcopatus Iutiæ inſtituit, Sleſvvicenſem, Ripenſem & Arhuſienſem. Mortuus eſt poſt converſionem ac glorioſas victorias in perfectiſſimo vitæ fulgore, charus Deo & hominibus.

LXXIII. CANVTVS II.

Rex CANVTVS Suenonis filius. Hic

Nor-

Norvvegiam occiſo ſancto Olavo obtinuit,gentemq;Eſthonicam ſibi ſubdidit. Deinde Angliam aggreſſus, fugato rege Edeldardo ac in Londonia mortuo, triumphato regno,relictâ defuncti regis, filiam Ducis Normanniȩ,uxorẽ accepit, ex qua genuit filium nomine *Canutum*, cognomento *Durum*, ac filiam unam, quam Conradus Imperator accepit filio ſuo uxorem. Genuit etiam idem Canutus alios filios duos ex Albina cõcubina, Haraldum & Suenonẽ. Regnavit igitur Canutus iſte ſenex ſuper tria regna, Danorum,Anglorum,& Norvagienſium, annis xx.Moritur anno Domini 1040.

LXXIV. CANVTVS. III.

Rex CANVTVS *Durus*. Hujus temporibus regnavit Haraldus frater in Anglia quatuor annis, & mortuus eſt. Cui ſucceſſit Canutus Durus, & Sueno ſecundus frater in Norvvegia, annis fere quinque; quo defuncto Norvagienſes elegerunt in regem,Magnum, ſancti Olavi filium. Quod cum reſciſceret Canutus Durus,cum Anglis & Danis Norvagiam invaſit: unde inito fœdere, hac lege per amicos communes ſunt reconciliati, ut qui fuerit alteri ſuperſtes, utrũque regnum occuparet: Canutus vero Durus, paulo poſt mortuus eſt, cum regnaſſet annis novem.

LXXV. SVENO III.

Rex SVENO *Eſtridis* Canuti Duri ex *Eſthryta* ſorore nepos. Hujus temporibus *Magnus* rex Norvagiæ occupaturus regnum Danorum ex pacto, quod cum Canuto Duro pepigerat, pugnavit adverſus Suenonem, & vicit. Sueno igitur in Scaniam fugiens, atque inde in Sueciam fugam parans, audivit Magnum eſſe mortuum, qui mox reverſus ab univerſis Danis in regem eligitur. Regnavit autem annis XXVIII. Huic erant quinque filii, qui omnes poſt eum regnaverunt. Iſte Sueno erat magnus religionis cultor, ac præcipuus Cleri amator, cui inter cæteros erat chariſſimus VVilhelmus Roskildenſis Epiſcopus, à quo ſuſtinuit libere coargui & admoneri, ſi quando admiſiſſet quicquam correctione dignum. Nam quemadmodum in vita ſeſe mutuo dilexerãt, ita in morte quoque non ſunt ſeparati. Epiſcopus enim regio funeri ſolemni more occurſurus juſſit parari duo monumẽta, duoque feretra ex urbe Roskildenſi efferri. Cumque cognoviſſet in *Topſy Ore* adeſſe regium funus, erectis in cælum oculis & manibus, ſi quo rerum auctori ſervitio placuiſſet, vitam à ſe finiri petivit. hæc fatus, veluti in domeſtico lectulo acquieſcens extinguitur.

LXXVI.

LXXVI. HARALDVS VII.

Rex HARALDVS Suenonis filius natu grandior. Hujus tempore defecit ab obedientia Danorum Anglia, quæ jam 120 annis fuerat regibus Danorum vectigalis. Et quoniam regiæ functioni erat parum idoneus, ſub illius principatu quiſque ſuo voto vivebat, affectibus magis quam legibus, aut æquitati ſerviens. Vnius tantũ legis editione, maximos meruit vulgi favores, quia conceſſit reis in purgatione intentati criminis, ut ſeſe jurejurando tuerentur; quæ lex erat hoc nomine vulgo gratiſſima, quod minus periculi formidaretur ex perjurio, quam ex ferro. Erat autem Haraldus iſte ſacrorum officiis deditus, ſed ſuperſtitioſe magis quam pie. Cumque regnaſſet duobus annis, defungitur.

LXXVII. CANVTVS IV.

Rex CANVTVS *ſanctus*, ſecundus Suenonis filius. Iſte non ſolum egregius pietatis & religionis cultor, verum etiam magnus juſtitiæ amator. Videns autem regni incolas hærere in multis ad Chriſtianam pietatem religionemque ſpectantibus, nec eſſe cæteris per orbem Chriſti fidelibus legibus & ceremoniis pares & conformes, cum eſſent ob contemptum regiæ juſſionis, qua juſſi erant expeditionem facere in

Anglos rebellantes, gravi pecunia mulctandi, remiſſa pecuniaria mulcta, religioſa pietate, urgebat, ut ritu aliarum nationum, Chriſtianam religionem profitentium, decimas ſacerdotibus ſuis ſolverent. Qui perfidia *Olavi* fratris, ac proditione cujuſdam *Blacconis* diverſum perſuaſi, præcipue Iuti aquilonares, frequenter perfidi, inſurrexerunt adverſus ſanctum & juſtum Regem, fugientem in Fioniam perſequentes: ubi in urbe Othonia ſanctum Dei martyrem crudeliter occiderunt, in baſilica, quæ nunc Domino Albano ſacra eſt, anno regni ſui decimo. cujus crudelem interfectionem fuiſſe verum martyrium, divina pietas multa miraculorum frequentia declaravit. Periit anno CIↃ LXXXVIII.

LXXVIII. OLAVUS *Hunger*.

Rex OLAVUS, tertius Suenonis filius. Hic ab exilio Flandrenſi revocatus, remiſſo fratre Nicolao, quem vadem pro Olavi redemptione dederunt, omnium ſuffragiis rex creatur. Hujus temporibus, in ultionem immaniſſimi parricidii tanta fuit annonæ caritas, ut multi fame perirent, quæ non tantum obſcurorum familias vexabat, ſed etiam uſque ad Regis penates pervenerat: quas cum vidit Rex periclitari menſarum

rum inopia, divinum natalem celebraturus, rogavit Deum, ut ſi quid iræ adverſus populum concepiſſet, ſuo, non ejus periculo ſatiaretur. nec difficiles numinis aures habuit. nam eadem nocte eſurientem & parricidii pœnitentem animam efflavit, anno 7 ſui regni, Domini 1095.

LXXIX. ERICVS *Eigoth* III.

Rex Ericvs, cognomento & reipſa *Bonus*. Fuere huic Erico filii Haraldus, Canutus & Ericus, ſed primus concubina, ſecundus matrimonio, tertius adulterio ortus proditur. Erat autem Ericus iſte ſimul fortis & manſuetus, tenuitq; medium temperamentũ inter deſidiam & ferociam: quamobrem majoribus formidoloſus, minoribus autem percharus fuit, cum hos paterna indulgentia, illos regia ſeveritate inſequeretur. Filias quoque plures ex concubinatu habuit. Hujus temporibus factus eſt Aſcerus quidam, clariſſimo inter Iutos loco natus, primus Archiepiſcopus Lundenſis; prius enim parebant omnes Danici regni Epiſcopatus Archiepiſcopo Bremenſi. Sub hoc Erico vixit glorioſus *Skialmo Candidus*, educator filii Erici, nimirum Canuti Ducis. Tandem octavo regni ſui anno, pro expiatione ſummorum peccatorũ religioſam amplexus eſt

peregrinationem, Iudæam verſus, electis proceriſſimis quibuſdam peregrinationis ſociis, ut ſui corporis proceritatem conſentaneo ſociorum habitu minueret. In ea vero peregrinatione mortuus eſt in Cypro inſula toto orbe famoſiſſima, ubi etiam non ſine grandi miraculo ſepultus eſt, eadem inſula, ab ipſius ſepultura defunctorum cadavera continente, quæ antea non poterat continere, anno Domini. 105.

LXXX. NICOLAVS.

NICOLAVS quintus Suenonis filius. Huic erat filius nomine *Magnus*, ex uxore Margaretha filia regis Sueciæ, homo crudeliſſimus & impius, qui etiam interfecit ſanctum Canutum martyrem & ducem, ipſius quoque fratrem Haraldum. Iſte Nicolaus bello ſuperatus ab *Erico Emund*, occiſo Magno filio, fugit ad Slesvvicum, ubi à Iutis interfectus eſt, in ultionem Canuti ducis, qui erat Iutis chariſſimus. Anno Domini 1135.

LXXXI. ERICVS *Emund* IV.

ERICVS *Emund*. Hic interfecto Haraldo fratre ſuo, univerſiſque liberis ejus ſubmerſis, tandem regnavit. Bello etiam vicit & interfecit Magnum, fratris ſui Canuti interfectorem. Pacem igitur bello quæſitam juſtitiæ ornamentis excolere ſtuduit. Graviter enim animadvetere

tere cępit in majores & potentiores,qui minores injuria afficiebant: unde neque familiaritati neq;neceſſitudini parcebat: majorum enim inconſultam avaritiam, aut ferro,aut laqueo caſtigabat.quo ſtudio & principũ odia & plebis obſequia contraxit. Hic Ericus ab Epiſcopo Roſkildenſi Eſchyllo, ob ſimultatem inter illos exortam, pulſus eſt in Iutiam, Sialandenſibus Eſchyllo opem ferentibus, ſolis Skialmonis filiis ſeditionis conſortium detrectantibus. Sed ut ad eos impunitas redundavit, ita ad Eſchyllum pœna conceſſit. Rege enim cum Iutica claſſe reverſo, patris ac patrui interventu uſus, vicena auri talenta mulctæ nomine perſolvit. Tandem à *Plogo* quodam claro loco inter Iutas nato coram rege cuidam ex plebe de ſe queritanti reſpondente, lancea tranſverberatus occubuit? Anno Domini 1139. cum jam quatuor annis regnaſſet.

LXXXII. ERICVS *Lamb.* V.

ERICVS *Lamb,* Erici ex ſorore nepos. Hic præter ſolam animi fortitudinẽ nihil à natura dotis acceperat. ſicut enim erat prudentia vacuus, ita parum amœnus eloquio. qui confectis aliquot bellis adverſus *Olavum* avũculi ſui Haraldi filiũ,tandẽOthoniæ factus eſt monachus. moritur regni ſui anno 8, Chriſti 1547.

LXXXIII. SVENO IV.

SVENO Erici Emundi filius. Hujus temporibus ambiebant regnum etiam *Canutus* Magni filius, & *Waldemarus* Canuti ducis filius, variantibus inter ſeſe populi ſuffragiis. Igitur Scanienſes elegerunt Suenonem, una cum Sielandis; Iutorum principatum tenente Canuto. inter quos ancipiti ſemper victoria pugnatum eſt decem annis. Ab hoc Suenone captus eſt, & per ludibrium in tẽplo Beati Laurentii ſuſpenſus, *Eſchyllus* Archiepiſcopus Lundenſis. Vbi ergo Sueno iſte nulla certa victoria videret ſibi totius regni principatum contigiſſe, deſperabundus fugit in Saxoniam. Interim Dani convenerunt, eligentes duos reges, *Waldemarum* filium Canuti Ducis, filii Erici Boni, & *Canutum* filium Magni interfectoris beati Canuti regis; hac lege, ut ſimul regnarent. Quod cum audiſſet Sueno ex Saxonia reverſus, hanc meruit gratiam, ut cum aliis duobus regni conſortium acciperet, partito in tres partes univerſo regno. Sueno igitur Saxonum præſidiis & armis fretus, mox Canutum Roskildiæ doloſe occidit, occiſurus etiam VValdemarum, niſi beneficio *Hesberni Snare* nepotis *Skialmonis Candidi*, ſervatus ac in Iutiam maximo naufragii periculo fuiſſet

ſuiſſet tranſvectus. Quem cum inſequeretur Sueno, eodẽ anno in prælio, quod *Gratemoſæ* commiſſum eſt, à VValdemaro victus & occiſus eſt; unde & juſtas dedit perfidiæ pœnas.

LXXXIV. CANVTVS V.

CANVTVS filius Magni, filii Nicolai interfectoris regis, beati Canuti Ducis. Hic naturam à patre ſortitus, à paternis moribus erat alienus. Cumque duodecim pene annis dubia ſpe regnaſſet, tandem à Suenone perfidiſſimo Roskildiæ per inſidias nocte occiditur.

LXXXV. VVALDEMARVS I.

VVALDEMARVS Canuti Ducis filius, non ſolum naturæ, ſed etiam pietatis paternæ hæres egregius. Hic interfecto publico prælio perfidiſſimo Suenone, tandem ſolus regnavit. Hujus temporibus, cum frequentes facerent incurſiones Saxones in Iutiam, *Waldemarus* & *Abſolon* Epiſcopus Lundenſis, ut multis annis arcerentur ab hujuſmodi incurſionibus, extruxerunt murum cocto latere, ſuper vallo olim facto in eandem rem ab illuſtriſſima Danorum regina *Thyra Danebod* matre Haraldi *Blaatand*, quam quidem ſtructuram appellant *Dane Wercke*. Hic VValdemarus cum eſſet multis victoriis glorioſus

admirandis etiam rebus eximius, triumphata *Rugia* atque per Abſolonem ad fidem converſa, cum filiam ſuam dediſſet Friderici Imperatoris filio uxorem, vidiſſetque ſanctiſſimum patrem ſuum Divorum Catalogo aſſcriptum, filium ſuum regni diademate ornatum, tandem mortuus eſt, cum regnaſſet annis 25, in *Ringſtede* ſepultus, cum Sereniſſima regina uxore ſua *Sophia* filia Svverkonis regis Sueciæ, quæ obiit anno Domini 1182.

LXXXVI. CANVTVS VI.

CANVTVS primus VValdemari filius. Qui per Abſolonem Epiſcopum terra & mari glorioſe belligeratus eſt adverſus Romanum Imperatorem, contendentem, Danorum regnum ſemper liberrimum, eſſe imperii feudum. Holſatiam igitur & Dithmarſiam triumphavit. Tandem cum regnaſſet annis 22, mortuus eſt, anno 1203, in Ringſtede, ſepultus cum ſua ſorore *Regiza* regina, uxore Erici regis Sueciæ, quæ obiit anno 1201.

LXXXVII. VVALDEMARVS II.

VVALDEMARVS Canuti frater, fuit multis victoriis glorioſus, qui Danis fertur etiam legem compoſuiſſe, antiquas leges aut emendaſſe, aut in ordinem redegiſſe. Norvegiam vicit, cui regem tributarium dedit *Erlingum* quendam, du-

cemque conſtituit *Philippum*: accepit autem uxorem nomine *Dagmor* filiam regis Bohemiæ. Hujus temporibus initium habuerunt Ordines Minorum & Prædicatorum ſub anno 1208. Et eodem anno pugnatum eſt in *Lena Oſtgotiæ*, duce *Suerchero Hack* Rege Sueciæ, filio regis Caroli interfecti à Canuto rege, filio ſancti Erici, in cujus ultionem Suercherus interfecit omnes Canuti filios, unico Erico filio in Norvegiam evadente. Huic Suerchero auxilium à VValdemaro poſtulanti, additæ ſunt Danorum copię fortiſſimę, virorum videlicet octodecim millia, ſub principibus belli *Eblone Simonis* & *Laurentio* illius fratre, fortiſſimis pugnatoribus, filiis domini *Suenonis Sielandici* de *Knaretorp*. factaq; eſt magna utriuſque exercitus ſtrages. ceciderunt in eo prælio præfati belli Principes. pugnatum eſt autem pridie Kal. Februarii, ceſſitque victoria Suerchero, ſed maxima ſui exercitus jactura, cęſis innumerabilibus Suecis. Rurſus anno 1210 bellatum eſt. *Gulſtus Reen* ibi & rex Suercherus occubuit & dux *Folcho*, alii quoque multi viri nobiles de *Folchongis*, ceſſitque victoria Suecis. Anno 1214, cum defuncta eſſet regina *Dagmor*, celebratæ ſunt ſecundæ nuptiæ Regis VValdemari, cum filia Regis Portugalliæ.

qui

qui anno ſequenti conſtituit filium ſuum VValdemarum regem in placito *Wibergenſi;* qui tamen ante patrem ſuum mortuus eſt, anno Domini 1231. ſepultuſque eſt *Ringſtadiæ*, cum uxore ſua *Dagmar*, filia regis Bohemiæ, & cum uxore ſecunda *Berengera*, filia regis Portugalliæ, ſorore Comitis Flandriæ, quæ obiit anno 1220. Eiſdem temporibus Otto Imperator armato milit venit adverſus VValdemarum regem, occupaturus Holſatiam, ſi res illi ex voto ſuccederent: verum cum audiſſet regem VValdemarum ſibi cum ingentibus copiis occurrere, in fugam eſt converſus, nec quievit donec ultra Albiam ventum eſſet. Anno Domini 1216 VValdemarus rex terram Comitis Henrici ultra Albiam paulatim vaſtare ac populari cæpit, extruxitque duas arces non procul ab *Hammaburg*, Ducatumque Erico filio ſuo contulit. Comitatum autem, quem ab Heinrico Comite vindicavit, Nicolao filio ſuo (quem ex pellice habebat) dedit. Anno 1223 dolo captus eſt rex VValdemarus cum filio VValdemaro, & in Slavoniam deductus. Anno autem 1226 grandi pecunia redemptus. Anno 1232 coronatus eſt Ericus VValdemari filius in regem, & frater ejus Abel Iutiæ Ducatum accepit.

pit. Anno 1239 idem Ericus duxit uxorem Iuttam filiam ducis Saxoniæ. Igitur cum VValdemarus glorioſe regnaſſet annis 39, mortuus eſt 1241 in cæna Domini, quæ erat quinta Kal. Aprilis: in *Ringſtede* ſepultus, regno in optima pace relicto, ac filiis omnibus antea matrimonio junctis.

LXXXVIII. ERICVS VI.

Ericvs VValdemari filius, vir bonus ac pius. Hic multis annis adverſus fratrem ſuum *Abel* virum crudeliſſimum belligeratus eſt: à quo tandem dolo capitur, capiteque truncatur in vigilia ſancti Laurentii, 1242.

LXXXIX. ABEL.

Abel Erici frater & peremptor, cum duobus annis male regnaſſet, à Phriſonibus eſt interfectus Eiderſtadenſibus, juſto Dei judicio, quod ille prius occiderat regnandi cupiditate innocentiſſimum fratrem ſuum, anno 1242.

XC. CHRISTOPHORVS I.

Christophorvs frater Erici & Abelis, nullo facinore glorioſus erat. Sub illius Principatu tanta erat plebis rebellio adverſus regem, ut coacta turba irrumperet in arces regias, quas aut deſtruxit aut prorſus eſt demolita. Vno ſcelere evaſit infamis: accepit enim Archiepiſcopum

pum Iacobum captivum, quem carceri mancipavit in arce *Hagenſcovv.* Cujus cauſa iam regnum fuit novem annis ſub interdicto. Mortuus eſt anno Domini 1259. Circa hæc tempora obſervatum eſt quiddam in Suecia, quod à temporibus ſancti Erici initium habuit. Cum enim in Succia Vpſalenſes ſanctum Ericum, in Scania vero Oſtgoti Caroli Suerkeri Hack patrem elegiſſent, conſtituerunt, ut ex his duabus progeniebus, alternis vicibus, eligerentur Reges. quæ conſtitutio duravit centum annis, uſque ad tempora Burgeri ducis, patris VValdemari, & *Magni Ladelaas*, regum Sueciæ, qui captos dolo præcipuos de *Folkungis* viros eximios occidit, ut regnum apud illius poſteros perſeveraret.

XCI. ERICVS VII.

Ericvs *Klipping* erat multis flagitiis opertus, ſacrilegiis, oppreſſionibus, ac infami libidine; ita vocatus, ut omnibus haberetur inviſus. Igitur anno 1286 cum ruri ageret venationis gratia, ac nocte beatæ Ceciliæ dormiret in villa *Findetorp* VVibergenſis diœceſis, jaceretque cum multis in horreo quodam multum ſoporatus, ingreſſi ſunt clam ſeptem viri prævia laternula, ſtudio armati: quorum unus regis caput manui innixum gravi pugione crudeliter trăſverbe-

verberat, cæteri vero invadentes regis cadaver jam exanime, intulerunt illi vulnera 70, in ultionem perfidiæ ipſius regis, ac præcipue nefandæ libidinis, qua expugnaverat corruperatque multarum etiam nobilium matronarum pudicitiam, inter quas etiam fuerat ſtuprata uxor domini *Stygoti* Andreæ, regni Marſcalci. Iſte Ericus dedit filiam ſuam nomine *Sophiam* VValdemaro regi Sueciæ uxorem: qui ob ſtuprum ejuſdem ſororis Sophiæ è regno pulſus, habuit Magnum Ladelaas fratrem ſuum regni ſucceſſorem.

XCII. ERICVS *Memvvidt* VIII.

Ericus *Memvvidt* Erici filius, aliquot victoriis adverſus Teutones inſignis, *Roſtochium* triumphavit, & juxta *Warnavv* turrim extruxit. Hujus tempore anno 1287 juratum eſt in Dania à 27 viris nobilibus, Dominum *Iacobum* Comitem Hallandiæ, Dominum *Stygotum* Marſchalcum, Dominum *Nicolaum Hallensfar*, Dominum *Petrum Porſe*, alioſque multos illorum complices, veros eſſe regis Erici interfectores: qui ſtatim ſibi timentes in Norvagiam fugerunt, receptique ſunt ſub regis Norvagiæ protectione, anno 1293. Mortuus eſt autem dominus *Stygotus*, quondam interfecti regis Erici Marchalcus, in inſula *Hielmo*,

quam

quam arce quadam munierat, ubi regis interfectores tuta habebant præſidia, unde etiam piraticam exercebāt. A Stygoti enim obitu diſperſi ſunt, ac diverſis locis ſupplicio affecti. Nam anno ſtatim ſequenti captus eſt *Ranelonus*, qui extra Roskildiam rota percuſſus occubuit in ultionem interfecti regis Erici, cujus idem *Ranelonus* fuerat cubicularius, adeoque proditor infamis. Iſte Ericus mortuus eſt ſine liberis anno 1319, cum regnaſſet annis 33, in Ringſtede ſepultus. & ad ſiniſtram ſuam jacet mater ſua Agnes regina, uxor regis Erici VVibergis ſepulti, filia Alberti Marchionis Brandenburgenſis, quæ obiit 1304: & ad dexteram ejuſdem jacet uxor ſua, filia Magni regis Sueciæ, quæ obiit anno 1319.

XCIII. CHRISTOPHORVS II.

CHRISTOPHORVS Erici frater, qui electus eſt anno 1320, erat regni diademate prorſus indignus ob ignaviam, nec unquam fortunatus aut felix, adhęc omnis nobilitatis oſor, populi vorator. Igitur tanquam perfidus princeps ſuſtinuit multorum rebellionem: quam declinare volens bis è regno fugerat, rediitque ſpe recuperandi, ſed nullo fructu. Nam Holſatis in pignus dederat univerſam Scaniam. Habebat autem tres filios, Ericum, Ottonem & VValdema-

demarum. Ericum regem conſtituit, ut
una ſecum regnaret. Verum uterq; ma-
le regnans, grave odium incurrit. Nam
regni proceres fugato patre filium cap-
tum carceri manciparunt in arce *Hader-
ſleff:* qua occaſione cœperunt Holſatiæ
Comites regnum ambire, nihil non ten-
tantes, ut Danos in perpetuam quandã
ſervitutem redigerent: quod animad-
vertentes Danorum proceres, revocant
ab exilio Chriſtophorum regem, & Eri-
cum illius filium à vinculis abſolvunt,
qui paulo poſt brevi tempore regnantes
calamitoſa morte defuncti ſunt, anno
Dom. 1333. Dominus Magnus Rex Sue-
ciæ redemit univerſam Scaniam à Do-
minis Holſatiæ, qui illam in pignus ac-
ceperât à Chriſtophoro rege Danorum,
patre VValdemari Duri. Redemptionis
autem pretium erat 70 millia marcha-
rum argenti puri; videntes enim Holſa-
ti, ob tyrannidem, qua graſſabantur in
univerſam Scaniam, defeciſſe Scaniæ
proceres ad *Magnum Smeg* Sueciæ re-
gem, coacti ſunt vendere, quod alioqui
non fuiſſent diu habituri. Anno Domi-
ni 1340 cum in regno Daniæ adhuc eſ-
ſet interregnum, mortuo ſcilicet rege
Chriſtophoro, & nondum ex aula Im-
peratoris reverſo VValdemaro, Iutiam
ſunt hoſtiliter ingreſſi Domini Holſatiæ,

Ioannes Dux & Gerardus Comes, eandem mox occupaturi. Cumque Comes Gerardus ad *Randruſiam* Iutiæ civitatem perveniſſet, at ibidem ſua firmaſſet præſidia, à nobili quodam viro *Nicolao Ebbonis*, patriæ libertatis ſtudioſiſſimo, nocte interfectus occubuit, cum multis nobilibus ac aliis militibus, quos ſecum in præſidiis ibidem habebat.

XCIV. VVALDEMARVS III.

VVALDEMARVS cognomento *Reprobus*, fertur fuiſſe verſutiſſimus, avariſſimus, & audaciſſimus: qui cum oſtédiſſet regnum pauperrimum, ſcilicet à ſuo patre ſpoliatum, ab hoſtibus Alemannis vaſtatum, à quibus tum etiam multæ arces poſſidebantur, mira vafricie vindicavit è poſſidentium manibus, minima ſanguinis jactura, principio regni ſui, ſcilicet anno Domini 1340. Vindicavit etiam Scaniam, abuſus ſimplicitate Magni regis: ac dolo exuſtis omnibus ejus literis. Anno vero proxime ſequenti vindicata Scania, jam aperto Marte invaſit *Olandiam* & *Gotlandiam:* atque cum crudeliſſime vaſtaſſet utramque, interfectis in *Olandia quingentis viris*, in *Gotlandia* vero duobus millibus; eodem anno amiſit *Olandiam* & *Gotlandiam*, quæ tamen poſtea eſt retenta. Iſte VValdemarus in aſſerendo regno fuit admo-

admodum glorioſus. Nam ut illud in libertatem aſſereret, nihil non tentavit: receperat vaſtatum, ſpoliatum, depauperatum, & quodammodo in ſolitudinem redactum, non tam ignavia patris ac fratris, quam exterorum incurſionibus; ſed liberum ac florentiſſimum reliquit. Hanc tamen illius gloriam obſcurarunt, inſatiabilis avaritia, ac infamis perfidia, qua violato jurejurando, cepit tyrannidem exercere adverſus nobilitatem totius regni, quam etiam extinctam cupiebat, quo crudelius graſſaretur in omnes, jam ſublato metu, qui ſolet eſſe officii cuſtos. Ob hanc enim cauſam pertulit ab ipſis proceribus frequenter rebelliones, non inſidiantibus regi & crudeli, & formidabili, ſed ſibi magis proſpicientibus ne perirent; quorum tamen rebellionem crudeliter ulta eſt in multos *Margareta* illius filia, triũ regnorum regina, quantumvis viſa ſit aliis virtutibus ſpectabilis. Erat autem VValdemarus iſte adeo irritabilis in omni re, ut etiam facile fuiſſet fidem relicturus, ni obſtitiſſet religioſus quidam pudor. Nam Romano Pontifici ob tyrannidem ac perfidiam interdictum ac excommunicationem minanti, fertur in hæc verba reſpondiſſe: *VValdemarus rex Dania Romano Pontifici ſalu-*

rem. Naturam habemus à Deo, regnum ab incolis, divitias à parentibus, fidem vero à tuis prædeceſſoribus, quam ſi nobis non faves, remittimus per præſentes. Vale. Habebat autem uxorem nomine *Helvvig*, filiam VValdemari ducis Sleſvvicenſis, ex qua ſuſtulit præcipue duas filias, unam, quæ nupſit *Haquino* Norvagienſium regi. hæc fuit *Margareta* regina trium regnorum; alteram, quæ nupſit duci Magnopolenſi, cui genuit duas filias, matrem Erici regis de Pomerania, & Chriſtophori regis de Bavaria. Cum multis annis regnaſſet VValdemarus, mortuus eſt in arce *Gurræ* à ſe exſtructa, ſepultus Soræ cum patre ſuo, anno Dom. 1375.

XCV. MARGARETA.

MARGARETA loco regnavit VValdemari patris, mulier chriſtiana ac religioſa valde, & adeo potentia, fortuna, victoriis, divitiis ac prudentia glorioſa, ut fortunatiſſimos viros videatur non ſolum æquaſſe, verum etiam longe ſuperaſſe. Hæc regnante patre nupſit *Haquino* filio *Magni Smeg* regis Sueciæ & Norvvegiæ: cui unicum filium genuit, *Olaum* nomine, anno Domini 1341: qui fertur ignota morte periiſſe, nondum accepto regno, anno 1384. Regnavit autem poſt mortem Haquini ſui mariti annis

annis 32. Bellum enim ab Haquino cœptum adverſus Albertum regem Sueciæ illa glorioſe perfecit. Anno Domini 1389 miſſo ex Dania grandi exercitu, ſub principe belli domino *Ivaro Lucke*, pugnatum eſt in *Aſle* adverſus Albertum regem, ceſſitque fortuna ipſi Margaretæ victoriam, captuſque eſt Albertus in prælio, unà cum filio ſuo Erico duce, ſimulq; cum illis capti ſunt *Rodolphus* Archiepiſcopus *Scharenſis*, Dux *Magnopolenſis*, regis Alberti pater, Comes Holſatię, & Comes de *Reppin*, alii quoq; multi Barones, & proceres, interfectis multis militibus plebeiis. Nã equites aurati ibidem cæſi fuerũt 19, exceptis aliis nobilibus, qui numerari non poſſunt. Nam ut glorioſa victòria, ita præceſſerat atrox bellum. Captus igitur Albertus, & in Daniam ductus, ſex annis in captivitate durat. Liberatus eſt autẽ à captivitate anno 1395, circa feſtum Michaëlis; hac lege, ut præfixo termino aut ſolveret reginæ 60 marcharum millia argenti puri, aut fieret deditio civitatis Holmenſis, aut rediret in captivitate perduraturus. Cumque nec rediret, nec ſolvere valeret tantam ſummam, ſcripſit Holmenſibus, & mox conſequuta eſt deditio. Sicque obtento univerſo regno glorioſe regnavit, pepigitque fœdus illud ſolemne, quod

tria regna conjunxit, quod utinam duraſſet in hodiernum uſque diem. Ictum enim erat fœdus hac lege, ut in electione regum, alternis vicibus haberet Suecia primum ſuffragium, Dania vero alternis. Et quoniam in electione Erici regis Dania primum habuerat ſuffragium, mox in electione Chriſtophori regis, etiam primum uſurpabat ſuffragium: qua temeritate & arrogantia offenſi Sueci, ſtatim elegerunt ſibi proprium regem *Carolum* Canuti, maximo utriuſque regni diſpendio. Hæc Margareta cum orbata eſſet poſteritatis ſpe, nimirum mortuo Olavo filio, vocatum ad ſe Ericum nepotem ex Pomerania, in regem eligendum curavit, anno Domini 1396, cum eſſet quatuordecim tantum annorum, qui ſtatim anno ſequenti Calmariæ eſt coronatus ab Archiepiſcopis Lundenſi & Vpſalenſi, præſentibus Epiſcopis Lincopenſi, Scharenſi, Arengenenſi, Aroſtenſi, Vexionenſi, Arioſinenſi, Ripenſi, Orcadenſi, ubi creati ſunt ex tribus regnis equites aurati centum triginta tres. Itaque Margareta cum Erico habebat commune regnum, uſque ad diem mortis ſuæ, accepitque ille uxorem, filiam regis Angliç, nomine *Philippam*, anno 1406. Celebratæ ſunt nuptiæ Lundis eodem anno,

circa

circa feſtum omnium ſanctorum. Cumque diu regnaſſet, ſemper cleri amatrix, magno laicorum odio, tandem mortua eſt, ac Roſchildiæ ſepulchro precioſo ſepulta anno 1412, circa feſtum Simonis & Iudæ.

XCVI. ERICVS X.

Ericvs filius ducis Pomeraniæ, VValdemari pronepos. Hunc Ericum narrat Suecorum Chronicon, ſic educatum fuiſſe à Margareta regina in omni perfidia & crudelitate, ut VValdemaro nihil fuerit inferior, imo perfidia ſuperior, adeo ut dicant illum ex Margaretæ uberibus ſuxiſſe quicquid malitiæ illa velut hæreditario jure à patre crudeliſſimo & verſutiſſimo poſſederat. Obteſtata enim ſuper literis, & juramentis ſervandis, de fide caſtrenſi non in exteros transferenda, ſolita erat reſpondere; *Servate vos qua poteſtis diligentia noſtras literas, nos curabimus arces ſervari.* Hic Ericus obteſtatus de jurejurando fertur eadem ſententia reſpondiſſe primatibus Sueciæ. Hujus Erici temporibus fecerunt Alemanni gravem irruptionem in regnum Danorum, ſed nullo ſuo commodo; Philippa regina & ſenatu regni adverſus illos pugnantibus & vincentibus. Rex autem Ericus viſus eſt bellis nihil aliud quæſiſſe, affectaſſe, deſideraſſe, quã ſuorum

rum procerum ac nobilium interitum, ideoque fertur amaſſe bellum, victoriã non amaſſe, ſemper contentus cladem aliquam ſuorum fidelium procerum accepiſſe. Qui cum erga omnes eſſet perfidus & iniquus, tandem ab utroque regno deturbatus, elegit *Gotlandiam* inſulam, tanquam exilii tutiſſimum præſidium: unde piraticam in Suecos perpetuam exercuit, Danis interim parcens, à quibus etiam recedens, & in *Pomeraniam* rediens, tradidit totam *Gotlandiam* poſſidendam & aſſervandam. Adverſus hunc Ericum feruntur multa ſcripta accuſationum capita, quibus palam eſt illum fuiſſe è regno juſtiſſime profligatum: ac inter cæteras graviſſimas querelas, 27 proditiones capitales & infames. Cumque diu regnaſſet, multis adulteriis opertus, voluptatibus deditus, perjurio, rapina, perfidia, violentia, tyrannide ac proditione ſceleratiſſima, conſpiratione ſolemni omnium procerum regni, publicam libertatem optimo jure aſſervantium, conſternatus, ſibi male conſcius fugit in *Gotlandiam*, compilatis regni theſauris, ac comitatus unica concubina præ cæteris chariſſima, cui nomen *Cæcilia*, quæ non minimam præſtitit expulſionis cauſam, cum eſſet illi multorum malorum in-

centrix

centrix ac conſultrix. Fugit autem anno Domini 1438, cum à coronatione ſua regnaſſet annis 14.

XCVII. CHRISTOPHORVS III.

Rex CHRISTOPHORVS dux Bavariæ, etiam VValdemari pronepos: hic electus eſt in Regem conſilio Erici regis. Cui ſi contigiſſet vita diuturnior, evaſiſſet valde glorioſus, præcipue adverſus petulantiam civitatum quæ *Hanſeaticæ* dicuntur. Nam ad illarum petulantiam coërcendam ac refrenandam (qua etiam regnis ac principibus minitabantur) videbatur valde idoneus: vehementer enim dolebat, *Lubecam* olim à Danis extructam, Danorumque regibus ſubjectam, ſic per proditionem libertatem vindicaſſe, ut illi nunc dominari cupiat, cui prius ſubjecta ſerviebat. Ad eam igitur rem perficiendam collegit ab univerſo regno magnam pecuniarum vim: unde offenſi Aquilonares Iuti, excitata gravi ſeditione rebellare tentantes, à rege victi ſunt, graviterque mulctati. Cumque duxiſſet uxorem filiam Iohannis Marchionis Brandenburgenſis nomine *Dorotheam*, ſine liberis mortuus eſt, anno regni ſui ſeptimo, Domini 1447, in arce *Helſingborg*. Erat autem iſte Chriſtophorus Danis

quidem acceptus, Suecis inviſus: quibus tamen ad mortem uſque dominatus eſt.

XCVIII. CHRISTIANVS I.

Rex CHRISTIANVS, ejus nominis primus, filius Theodorici Comitis de *Oldenburg*, & *Hedvvigu* ſororis *Adolphi* ducis Sleſvvici. Electus eſt autem conſilio domini Adolphi ducis Holſatiæ, cujus erat conſanguineus. qui ducta uxore Dorothea, præceſſoris ſui *Chriſtophori* relicta vidua, genuit ex illa filiam unam nomine Margaretam, poſtea Scotiæ regis uxorem; ac duos filios, Iohannem & Fridericum. Hæc electio facta eſt anno Domini 1448. Hujus temporibus plene defecit Sueciæ regnum à fœdere trium regnorum, coronato ſibi proprio rege *Carolo* Canuti filio, ejuſdem regni Marſchalco; quo tandem expulſo ob tyrannidem ac perfidiam, aſſumptus eſt *Chriſtianus* etiam in Sueciæ regem, ſed parvo tempore regnantem, ſeditionem adverſus illum moventibus Suecis quibuſdam natura factioſis, Carolo jam revocato ex urbe *Gandavenſi*, in qua 7 annis exilium tranſegerat. Iſte *Chriſtianus* cum eſſet natura clemens, egregiuſque pecuniarum contemptor, nec odii tenax, aut injuriarum vindex, habuiſſet ſuo ſeculo regnum minime violentum, parum etiam cruentum, ſi calumniato-

res

res quidam illius ſimplicitate non fuiſſent in magnam regni Sueciæ perniciem abuſi. Archiepiſcopus enim Vpſalienſis, Dominus *Iohannes Benedicti*, vir nobiliſſimus, falſis delationibus quorundam calumniatorum à rege *Chriſtiano* captus ac ludibriis affectus multis, in Daniam etiam miſſus, ubi magna injuria calamitoſe vixit. Cujus tamen patrocinio ac præſidio *Chriſtianus* rex adeptus erat regni diadema. Idem enim Archiepiſcopus ſuccenſus patriç libertatis amore, odio habens Caroli regis maximam perfidiam, crudeliſſimam tyrannidem, atquè inſatiabilem avaritiam, ſemper reſtitit *Carolo* regi principi perfidiſſimo, quem ſciebat contra trium regnorum ſolemne fœdus privatis quorundam ſuffragiis violenter intruſum eſſe regem. Rex tamen *Chriſtianus*, deprehenſo calumniatorum dolo, à captivitate abſolutum Archiepiſcopum in Sueciam magno cum honore remiſit: qui reſtitutus gradui priſtino, contempta captivitatis injuria, ad mortem uſque magna Suecorum perfidorum admiratione permanſit regis *Chriſtiani* regno & Principatui fideliſſimus. Cum igitur *Chriſtianus* iſte grandi pecunia, partim à regni tributis collecta, Holſatiæ ducatum redemiſſet, Sueciam armis viciſſet, Gotlandiam occupaſ-

cupaſſet, Erico rege decrepito in Pomeraniam reverſo, filioque ſuo Iohanni uxorem accepiſſet, urbemque Romam religionis gratia viſitaſſet, regnaſſetque annis ferme triginta tribus, anno Dom. 1481 inter Paſcha & Pentecoſten diem clauſit extremum; fortitudine, armis, & victoriis potens; miſericordia, gloria, & magnificentia dives; fide vero & religione pius: ſepultuſque eſt *Roſchildiæ*, in ſacello quodam à ſe fundato & extructo, atque ampliſſimis poſſeſſionibus donato, quod ad auſtralem plagam adhæret Baſilicæ beati Lucii Martyris, cujus religioſus cultus & ornatus, ſacræ quoque Divorum reliquiæ ex urbe Roma delatæ, quæ ibidem viſuntur, teſtantur Chriſtiani principis religioſam pietatem.

XCIX. IOHANNES.

Nonageſimus nonus rex IOHANNES, primus ejus nominis. Hic uxore ducta nomine *Chriſtina*, filia domini *Erneſti* Ducis Miſniæ, genuit duos filios, *Chriſtiernum* & *Franciſcum*, & filiam unam nomine Elizabetam, quæ nupſit domino *Ioachimo* Marchioni Brandenburgenſi. Iſte *Iohannes* cœpit regnare ſtatim ab obitu patris ſui *Chriſtiani*, multiſque annis, nimirum triginta pene duobus, chriſtiane regnum Danorum mode-

moderatus eſt. Nam principio regni ſui, ſequutus conſilium prophanorum procerum, decreverat moleſtus eſſe viris Eccleſiaſtici Ordinis: poſtea vero cum ſentiret prophanos inveterato odio (quo laici ſunt ſemper clericis offenſi) id ſuaſiſſe, ſententiam decreti ſui mutavit. Igitur ad finem uſque vitæ ſuæ erga clerum fuit optime affectus, deprehenſo procerum dolo. Quod ſi non tanta pietate dilexiſſet univerſum clerum, veneratuſque fuiſſet omnia Chriſtianæ religionis ſacra, multa fuiſſent adverſus cleri libertatem à proceribus quibuſdam tentata, quæ ſucceſſerunt illis ſub principatu regis Chriſtierni famoſi tyranni, ac Friderici primi nuper defuncti. Erat autem rex Iohannes præditus ſolertia, ut prudenter nobilium quorundam inſania frueretur: quos cum mira comitate ſibi conciliaſſet, ob mutua tamen ipſorū diſſidia, ac quotidianas injurias, quibus ſe invicem affligabant, graviter in eos animadvertebat: quibus tamen nulla videbatur intolerabilis mulcta, quod omnia leniret incredibili affabilitate. Quod ſi temperaſſet à bello & ſanguine (in quæ tamen caſu magis, quam propoſito inciderat) abſtinuiſſetque ab iniqua ſententia, qua decernebat contra hæredes domini *Pauli Lax-*

mand

mand Magiſtri equitum, fuiſſet ſane Princeps & optimus & fœliciſſimus. Porro cum in rebus mortalium nihil ſit ab omni parte beatum, & optima quæque deſiderantur verius quam habĕtur, non minimam laudem merentur ii, qui vitam agentes in deliciis ac opibus, hujuſque caduci ſeculi ſtrepitu ac pompa, multis adulatoribus, calumniatoribus, & paraſitis obnoxii, mediocritatem ſervare potuerūnt. Huic principi bellum meditanti adverſus dominum *Stenonem Sturam*, regni Sueciæ gubernatorem, reſtitit *Dorothea* mater, quamdiu vixit. Mortua vero matre pugnavit ac vicit, vix tamen triennio poſſedit; rebellantibus Danis *Stenone* & *Suanʃone* proditoribus perfidiſſimis, maximo in hodiernum diem utriuſque regni detrimento. Triumphavit autem anno Dom. 1497. Anno vero 1501 defecerunt ab illo, obſeſſa ac tandem capta in arce *Holmenſi* regina *Chriſtina*. Porro cum Suecorum proceres in defectionem adverſus aliquot reges, tum Daniæ, tum Sueciæ, à multis excuſentur, deficientibus tamèn omnibus à rege Iohanne: nec apud cordatos Suecos excuſatione habent, quando ipſius regnum fide plenum. ab omni violentia, omnique tyrannide liberum fuerat. Quod ſi *Waldemari*, *Margaretæ*,
Erici,

Erici, Chriſtophori, Chriſtiani quoque ſecundi regna fuiſſent tam incruenta, tamque procul à tyrannide & violentia, adhuc fortaſſe illibatum trium regnorum fœdus duraſſet. Vno tantum bello Ditmarſienſi fuit infortunatiſſimus, quod geſtum eſt anno Dom. 1500: ubi ſuperis non faventibus feruntur periiſſe multi viri nobiliſſimi ac clariſſimi. Dicebatur enim vulgo, iccirco illos infelici Marte pugnaſſe, quod ante conſcriptam militiam, conſpiraſſent adverſus cleri & Eccleſiaſticorum libertatem, quorum reditus & poſſeſſiones gloriabantur ſe mox occupaturos, victores bello Ditmarſienſi reverſos. Cæterum bello navali erat fortunatior, quo frequenter triumphavit, ac præcipue adverſus *Lubecenſes,* perpetuos Danici regni oſores. Mortuus eſt autem peſte, captus in civitate *Olburgenſi,* menſe Februario, anno Domini 1513. Hic Princeps poſt fata multorum lachrymis eſt deſideratus, etiam illorum qui viventem averſabantur, quando jam videbant filii principatum minari cruentam tyrannidem, horrendumque & inauſpicatum exitum portendere. Hic Iohannes ſepultus eſt *Ottoniæ*, cujus Epitaphium ibidem extat deſcriptum, cum Epitaphio uxoris Chriſtianæ.

C. CHRISTIERNVS II.

Rex CHRISTIERNVS ſecundus, Iohannis filius. Hic ex florentiſſimo regno poſt patrem accepto, reliquit tam calamitoſum, ut nunquam fuerit ab orbe condito calamitoſius. Erat enim famoſus tyrannus, qui omnibus tyrannis ſuperiorum ſeculorum major, crudelitate, impietate, perjurio, ſacrilegiis, & perfidia adeo infamis, ut qui Neronem, Phalaridem & Syllam cum hoc contulerit, is ſemiunciam cum aſſe contulerit. Cæterum cum ſævitia ac crudelitate ſua, quam exercuit in omnis generis homines, tam Eccleſiaſticos quam Politicos, defunctis etiam non parcens, proceres regnorum offendiſſet, pulſus eſt ab ipſis, patruo, & Lubecenſibus in exilium, anno Domini 1522, regni 9, in quo per decennium vixit in Germania. Reverſus cum exercitu in regnum, ſpe ejus recuperandi, captus eſt, detentuſque in captivitate uſque ad mortem, quam *Callenburgi* oppetiit anno Domini 1559, 25 Ianuarii: cum vixiſſet annos 77 & aliquot menſes: ſepultus *Ottoniæ* juxta patrem. Habuit vivente conjuge concubinam, filiam *Sibrechtæ*, quæ multorum malorum & bellorum in Septentrionalibus regionibus anſam præbuit. Vxor vero ejus fuit *Eliſabetha* vel *Iſa-*

bella

bella filia *Philippi* regis Hiſpaniarum & Archiducis Auſtriæ, quæ in ſæviſſima tempeſtate *Haffniam* appulit, anno Domini 1515, 9 Aug. mortua anno Domini 1525, 19 Ianuarii. ſepulta Gandavi matrona ob pietatem in Deum aliaſque virtutes laudatiſſima. Ex hac nati ſunt *Philippus*, *Maximilianus*, ambo infantes mortui: *Iohannes* apud avunculum *Carolum V. Imper.* in Vngariam moventem obiit *Steinbruchi*, anno Domini 1532, eodem die quo pater captus eſt, cum pueriles annos egreſſus eſſet; Princeps ingenio præſtans: *Dorothea* nupta Friderico Palatino Electori; an. Dom. 1532: *Chriſtina*; hæc conjux fuit prima *Franciſci Sfortæ* ducis Mediolanenſis, ſecunda *Franciſci* ducis Lotharing. ducta an. Dom. 1541.

CI. FRIDERICVS I.

FRIDERICVS I, pacificus & humanus Rex Daniæ & Norvvegiæ, Dux Sleſvicenſis, Holſatiæ, Stormariæ, VVagriæ, & Ditmarſchiæ, teſtamento patris conſtitutus: verum cum eſſet puer novem annorum, in conventu *Kilonienſi* frater rex abolito patris teſtamento cum ipſo diviſit has regiones, & reliquit ipſi *Gottorp, Tunderē, Haderſzleven, Eile, Stenborch, Trittovv, Aldenborch, Plone, Kyle:* Canonicatumque ipſi Coloniæ im-

petravit: ſed cum ad ætatem perveniſſet maturiorem, conſiderans iniquam diviſionem à fratre factam, repetiit legatum paternum ab eodem per conſiliarios Regios, & partem regnorum jure hæreditario addi volebat: verum reſponſo minus jucundo, additis inſuper minis, Conſiliarii dimiſſi ſunt. Quievit itaque quoad frater vixit, & eidem militavit contra *Ditmarſchos* anno Chriſti 1500. A Chriſtiano II patruele eadem quæ à fratre petierat, requirens, nihil impetrat. Eundem, conjungens ſe cum proceribus Danicis, & cum illis fœdus contrahens, propter tyrannidem pellit, & curam regnorum, Daniæ, Norvvegięque ſuſcipit, anno Domini 1523. Hafnienſes ſe dediderunt illi ineunte anno 1524, die trium Regum, quibus *Magnum Gye* Fridericus præfecit. Ipſe urbem nondum ingreſſus eſt. Sed ad Comitia regni generalia proceres regni Hafniam ad diem Iohannis Baptiſtæ convocavit. Qui excluſo, ob tyrannidem & perfidiam in Suecos & Danos nobiles perpetratam, Chriſtierno, Fridericum Regem, nobilitatis privilegia certis articulis incluſa confirmantem, unanimi conſenſu elegerunt, & die 7 Auguſti coronarunt. Coronatus doctrinam Eccleſiæ à D. Martino Luthero repurgatam publice

blice in templis proponi mandat, anno Chriſti 1524. Obiit Gottorpii anno 1533, 3 Aprilis, ſepultus Sleſvvigæ in choro templi Cathedralis, ornatuſque alabaſtrino monumento, cum vixiſſet annos 56, & regnaſſet annos 10. Vxores habuit duas. Primam Annam, filiam Iohannis Electoris & Marchionis Brandenburgici, ductam anno Chriſti 1500, mortuam anno Chriſti 1514, 3 Maij, ſepultam in *Borſholmenſi* monaſterio, ſub monumento orichalcino. Ex qua ſuſtulit filium unum & unam filiam; Chriſtianum III, Daniæ Regem, & Dorotheam I, natam anno Chriſti 1504, Alberti I Boruſſiæ Ducis anno 1525 uxorem. Alteram *Sophiam* Bugiſlavi X ducis Stetinenſis in Pomerania, ductam Kilonii anno Chriſti, 1518, ubi etiam mortua eſt anno Chriſti 1568, ætatis 70 & ultra, ſepultaque Sleſvvigę; ex qua genuit tres filios, totidemque filias: *Iohannem* ſeniorem hæredẽ Norvvegię, Ducem Sleſvvici, Holſa. Stormariæ & Ditmarſchiæ, nutritium Eccleſiæ & ſcholarum, mortuum *ἄγαμον* Haderſlevii anno Chriſti 1580, 2 Oct. ætatis 59, ſepultum Sleſvvigæ in crypta regia, *Adolphum* hæredem Norvvegiæ, Ducem Sleſvvicenſem, &c. natum anno Chriſti 1526, vigeſimo ſexto Ianuarii, & *Fridericum*, natum anno Chriſti 1529.

Epiſcopũ Hildeſienſem & Sleſvicenſem, Coadjutorem Bremenſem, mortuum Kilonii anno Chriſti 1555, 27 Octobris, ætatis 25, ſepultum Sleſvvigæ in monumento avito. *Eliſabetham*, natam anno Chriſti 1524. nuptam I anno Chriſti 1543 *Magno* duci Megapolenſi: & II Vlrico duci Megapolenſi. ex hac nata eſt filia unica *Sophia*, uxor *Friderici* ſecundi, regis Daniæ. *Annam* peſte mortuam *Flensburgi*, ſepultam Sleſvvigæ. *Dorotheam* II, nuptam anno Chriſti 1573 Chriſtophoro duci Megapolenſi, mortuam anno Chriſti 1575, 2 Nov., ſepultam à ſorore *Eliſabetha Guſtrovii* in monumento Regum Obotritorum.

CII. CHRISTIANVS III.

CHRISTIANVS III, Rex Daniæ & Norvvegiæ, Gottorum & VVandalorum, Dux Sleſvici, Holſatiæ, Stormariæ & Dithmarſchiæ, Comes Oldenburgenſis & Delmenhorſtenſis, natus anno Chriſti 1503, 13 Auguſti. Petro Friderico Daniæ regnum tenente, patrium ducatum adminiſtrabat. Primam Eccleſiarum inſpectionem ſuſcepit anno Chriſti 1527; commendata rerum Eccleſiaſticarum & viſitationis cura præcipue *Eberhardo Widenſcio* Theologiæ Doctori, quem Magdeburga princeps evocarat; & *Hermanno Taſtio*, paſtori Flesburgenſi. quibus

bus ex nobilitate, *Iohannes Ranzovius* aulæ Magiſter, *Iohannes Reventlovv*, & alii adjungebantur, electus in Regem Daniç à proceribus an. Chriſti 1535, coronatus à *Iohanne Bugenhagio Pomerano*, anno Chriſti 1537. Patruelem *Chriſtianum* II captivum detinuit *Sonderburgi* in inſula *Alſen*, & poſtea in arcem *Kallenborch* tranſtulit. Obiit anno Chriſti 1559, Kalend. Ianuar., hora 5 veſpertina, cum vixiſſet annos 56, regnaſſet 24: princeps pietate, juſtitia, æquitate, moderatione, prudentia, ſapientia & reliquis heroicis virtutibus aliis regibus prælucens. Depoſitus primum *Odenſehe* in *Fynia*, ſed à filio *Roschildam* tranſlatus, & monumento alabaſtrino ac marmoreo, cui regio Septemtrionalis ſimile non habet, honoratus. Vxor *Dorothea*, filia *Magni* Ducis inferioris Saxoniæ, Angriæ & VVeſtphaliæ, nata anno Chriſti 1511, 9 Iulii, coronata Haffniæ cum marito anno Chriſti 1537, obiit anno Chriſti 1571, 7 Octobris, veſperi hora 5; ſepulta *Sonderburgi*; ſed poſtea Roſchildam tranſlata, & juxta maritum humata eſt. Ex qua procreauit *Fridericum II*, Regem Daniæ, &c. *Annam*, conjugem primam *Auguſti* Electoris Saxonici & Marchionis Miſniæ, &c. ductam anno Chriſti 1548, 14 Octobris, & mortuam

anno Chriſti 1585, 1 Octobris. *Magnum*, Ducem Holſatiæ, Stormariæ & Ditmarſchiæ, &c. natum anno Chriſti 1540. 14 Auguſti, Haffniæ, qui factus eſt Epiſcopus *Orpatenſis* in Livonia, dynaſta in *Oſel* & *Vvick*, duxitque in uxorem *Mariam* Magni Ducis Moſcoviæ ex patruele neptem, & mortuus eſt anno Chriſti 1580. *Dorotheam*, uxorem *Wilhelmi* junioris ducis Brunſvicenſis & Luneburgenſis, ductam anno Chriſti 1561, 12 Octobris. Et *Iohannem* juniorem Ducem Holſatiæ, Stormariæ & Ditmarſchiæ, &c. natum Coldingæ anno Chriſti 1545, 25 Martii. ducentem in uxorem 1, *Eliſabeth* filiam *Erneſti* Ducis Brunſvvicenſis & Luneburgenſis in *Embeck* & *Grubenhagen*, anno Chriſti 1567, Coldingæ in Iutlandia. 11 *Agnem Hedvvigis*, filiam *Ioachimi Erneſti* principis Anhaltini, viduam *Auguſti* Ducis Saxoniæ, Electoris, &c. anno Chriſti 1586.

CIII. FRIDERICVS II.

FRIDERICVS II, Rex Daniæ, Norvvegiæ, Gotthorum, VVandalorumque, Dux Sleſvvicenſis, Holſatiæ, Stormariæ & Ditmarſchiæ, Comes Oldenborgenſis & Delmenhorſtenſis, natus eſt anno Chriſti 1534, 1 Iulii, in Haderſleben, electus & coronatus anno Chriſti 1559, 20 Auguſti, quo anno Dimarſchios auxilio patrue-

patruelium *Iohannis* & *Adolphi*, &c. vicit & ſubjugavit. Cum Erico XIV rege Sueciæ ſeptennale bellum geſſit, ab anno Chriſti 1564 uſque in annum Chriſti 1570. quo interventu Principum pax facta eſt inter hunc & Erici XIV germanum fratrem Iohannem.

His tot ac tantis rebus domi foriſque geſtis, Fridericus Rex quum totum ſe pacis ſtudiis dediſſet, anno 1587, 3 Octobris, in prædio *Neugardt* tentari primum morbo cœpit; qui etſi jugulum ſtatim non petierit, lenta tamen ægritudine corporis vires ita proſtravit, ut finem vitæ Rex inſtare præſentiens, totum ſe ad animi emigrationem compararit. Tandem igitur omnibus quæ ad morituros pertinent pie ſanctеque compoſitis, Sacramento Cænæ Dominicæ proviſus, in vera ac pia divini nominis invocatione, firmaque in Chriſtum fide, placide conſtanterque, 4 April. circa veſperam inter quartam & quintam horam, in Regia arce *Anderſcovv* ſita in *Sielandia*, annum agens enneaticum LIV, quum regnum annos viginti novem tenuiſſet, magno omnium bonorum mœrore decedit, obdormit, ac ex turbulento hoc ad cœleſte regnum emigrat. Nam præter heroicam animi magni-

tudinem, qua tam graviſſima bella geſſit, felicitatem, auctoritatem, tanta pietate Deum colebat, tanto amore literas complectebatur, tanta ſinceritate erga confœderatos, tanta virtute & juſtitia erga cunctos antecellebat, tanta conſtantia Chriſtianam Remp. aſſerebat, tanta in bello magnanimitas, in pace fides culta erat, ut ejus morte Eccleſia & literarum ſtudia, & Reſpub. magnum vulnus accepiſſe videri poſſent, ſi non eum filium poſt ſe reliquiſſet. qui paternæ virtutis æmulus, ſpem ejus ſanandi certiſſimam ſuſtineret. Ipſo die Paſchatis Regium funus præſtantiſſimo balſamo conditum, in ſarcophagum poſitum, *Anderſchovvio Roſchildam* lugubri pompa deductum, ibidemque regio monumento v Iunii illatum eſt, comitantibus Illuſtriſſimo, illuſtriſſimique generis Principe ac Domino, D. *Chriſtiano* ejus nominis quarto, Daniæ Norvegiæque &c. electo Rege, cum avo ſuo materno Illuſtriſſimo principe ac Domino, D. *Vlderico*, Duce Megapolenſi, Principe VVandalico, Comite Suerinenſi, Regionum Roſtock & Stargardt Domino, &c. aliiſque principibus ac legatis: in quo ſacello & *Chriſtianus* I proavus, & *Chriſtianus* III pater Friderici Regis, una cum conjugibus, *Chriſtina*

vide-

videlicet & *Dorothea* (quæ ambæ ex familia Saxonica natæ ſunt, illa *Erneſti* Electoris Saxoniæ, hæc *Magni* filia ducis inferioris Saxoniæ & VVeſtphaliæ) reſurrectionem ad vitam æternam expectant. *Sophia* uxor Friderici ſecundi, Regis Daniæ, cujus nuptiæ Haffniæ celebratæ ſunt anno Chriſti 1572, 20 Iulii, ſequenti die in reginam Daniæ, coronata eſt. ex qua progenuit *Eliſabeth*, anno Chriſti 1573, 25 Auguſti, Coldingæ; *Annam*, Sunderburgi, anno Chriſti 1574. 12 Octobris; *Chriſtianum*, Friderichsburgi, anno Chriſti 1577. 12 Aprilis; *Vlricum*, anno Chriſti 1578, 30 Decembris; *Auguſtam*, anno Chriſti 1580, 8 Aprilis; *Hedevvigem*, anno Chriſti 1581, 5 Auguſti; *Iohannem*, Haderſlevii anno Chriſti 1583, 26 Iulii.

CIV. CHRISTIANVS IV.

CHRISTIANVS IV, Rex Daniæ, Norvvegiæ, Gottorum, VVandalorumque, Dux Sleſvvicenſis, Holſatiæ, Stormariæ & Ditmarſchiæ, Comes Oldenburgenſis & Delmenhorſtenſis, natus Friderichsburgi, anno Chriſti 1577, 12 Aprilis, regnatque adhuc ſumma cum laude utiliter & prudenter hoc anno à partu virginis currente clↄ Iↄc xxix. Faxit æternus pater Salvatoris & liberatoris Domini noſtri Ieſu Chriſti, ut tum

ad Eccleſiæ & Reipub. Chriſtianæ ſalutem, tum ad familiæ ſuæ ſplendorem, & decus immortale propagandum, quàm diutiſſime vivat, regnet & ſalutaria conſilia conferat.

VIII.

Excerpta Libelli

IONAE ab ELVERVELT

DE HOLSATIA,

Ejusque Statu atque Ordinibus diverſis.

PRIUSQUAM ad conſtitutos Ducatuum atque Provinciarũ ſtatus accedamus, hiſtorica quædam generalia de Cimbris eorumque origine, antiquitate, augmento atque poſſeſſione, præmittere operæ pretium erit. Generoſiſſimos enim & illuſtres harum regionum Principes, nobiles, ac incolas, poſteros eſſe Cimbrorum, qui ante ſecula aliquot ex bellis in Italia geſtis ſuperſtites manſerunt & incolumes rediere, tam ex recentiorum quam veterum hiſtoriographorum monumentis conſentaneum eſt: quos à Cimmeriis populis ſupra Thraciam eſſe ortos

ortos Strabo aſſerit. Memoriam autem Cimbrorum millenis ſeptingenis & ſedecim amplius annis celebrem in Cherſoneſo Cimbrica extitiſſe, Hiſtoriarũ R. Taciti Annales teſtantur. Qui eodem in tractatu, inter Germanicum Britannicumque maria, non procul à Saxonum oris ad plagas Arctoas conſediſſe Cimbros affirmat: ubi videlicet *Iutæ, Sleſvvicenſes, Angli, Holſati, Stormari, Wargi, Dithmarſique* populi, noſtra ætate, ſedes ſuas habent. Hinc cum bellicoſiſſima gens Cimbri regna cladibus ſuorum augere potius, quam à majorum virtutibus degenerare maluerint, auxiliantibus Iutis, Anglis atque Saxonibus (ſub quorum tutelam Cimbri confugerant) cum tribus claſſibus A. C. 446 Britanniam invaſerunt: quam occupatam, incolis regionum undique profligatis & in fugam redactis, pari ſorte invicem diſtribuere. quod ex venerabilis D. Bedæ hiſtoriis colligi poteſt. Vnde in hunc uſque diem, ut Macrobius capite 78 habet, à noſtris Anglis Britanniæ regnum, quod & ipſi Anglici hiſtoriographi teſtantur, nomen obtinuit. Nec Cimbri quoque aliquot partes ſibi ereptas à Vandalis, Slavis Obotritiſque vi & virtute ſua non tantum receperunt, verum etiam crebras hoſtium depopulationes,

tiones, ſedula arcis Plonenſis expugnatione, atque everſione terræ Slavorum, ulti ſunt. donec VVagria, reliquis provinciis adjuncta, in Adolphi II, Comitis Holſatiæ & Schavvenburgenſis, poteſtatem pervenit, & à ſubditis Slavis erepta eſt.

Fuiſſe itaque bellicoſiſſimam gentem Cimbros (qui, Valerio Maximo referente, in acie gaudio exultare, tanquam glorioſe & feliciter è vivis exceſſuri, in morbis vero, quaſi turpiter perituri, lamentari conſueverunt) ex Rom. Hiſt. Annalibus meridiana luce clarius eſt. Cum enim Papyrium Carbonem conſulem, in acceſſu intercludendo, cum integro exercitu fortiter proſtraviſſent, à Marco Iunio Silano conſule, ut Romani in incolarum ſocietatem ſuſciperent, petierunt, hoc cum negatum ipſis fuiſſet, armis atq; viribus, quod precibus denegabatur, obtinere conati ſunt. Inde à Caii Manlii & Q. Servilii Cæpionis Proconſ. ætate, quos cum octoginta militum millibus, quadraginta millibus calonum lixarumque captis, penitus interfecerant, continuum bellum per 12 annos cum Romanis geſſère: donec à Mario ad quinctum Conſulatum prope Atheſin fluvium profligati, ad internecionem deleti fere ſunt. Quicquid vero integris hiſce

hiſce 12 annis memoria dignum ab utriſque geſtum ſit, in ſingulari quodam tractatu à magnifico atque nobiliſſimo D. Henrico Ranzovio Produce Regio deſcriptum eſt. Quam ob rem illi poſt acceptam hanc cladem maxime ab exteris, à bellicoſiſſimis videlicet Danis & fortiſſimis Slavis, exagitati, progenitorum atque nepotum VVidikindi Saxonis patrocinio ſeſe tradiderũt, cui etiam maximas aliquoties contra Carolum Magnum tulerunt ſuppetias, teſte Ptolomæo, qui lib. 2, cap. 9, ſupra dorſum Cimbricæ Cherſoneſi Saxones habitare ait: Plurimi etiam, propter varia bellorum pericula crebraſque gentium exterarum incurſiones, locis maritimis ac incultis hoſtium feritaté effugerunt, donec poſt 50 denique annos, plurimis & infinitis fere dominorum ſucceſſionibus (quod idem magnifici & nobiliſſimi D. Henrici Ranzovii Producis Regii de Cimbris hiſtoriæ teſtantur) elapſis, ad Schavvenburgenſium Comites hæ Provinciç à Lothario, circa annum Chriſti 1131 donatione pervenerunt. Hinc ab Adolpho II, ope Holſatorum Obotritis Slaviſque VVagria erepta eſt. Poſt Caroli vero Magni tempora circa A.C. 834 Cimbricæ regiones Chriſtianam demum religionem colere cœperunt: quo tempore

Ludo-

Ludovicus Caroli filius Epiſcopalem ſedem trans Albim in urbe Hamburgo collocavit, quod Carolum patrem prius decreviſſe, literæ Ludovici, Aquiſgrani eo tempore datæ, teſtantur. Vnde patet, Cimbros ultra 600 annos Chriſtianæ religioni addictos non fuiſſe. Quæ præterea cum Regibus Daniæ, Dithmarſis aliiſque regionibus diverſis, bella hi Comites geſſerint, quod nec idem ſemper belli eventus fuerit, paſſim hiſtoriæ de gentibus publicatæ indicant.

Illud tantum de Cimbris reſtare videtur, ut, quicquid ante ſecula aliquot præclare illi pace atque armis egerunt, hoc etiam noſtra ætate eorum poſteris *Iutis* & *Holſatis* honorificum eſſe exiſtimemus: qui non minus bellica virtute togaque civili clari exiſtunt.

Regio autem, quam poſt majores Cimbros noſtra ætate Holſati incolunt, *Cimbrica Cherſoneſus*, ſeu *Nordalbingia* appellata eſt. Hoc nomen inde accepiſſe videtur, quod à reliqua videlicet Germania per Albim fluvium verſus Boream ſeparata ſit. Præſentis temporis denominatio non obſcuram originem habet: nihil enim aliud Holſatiæ nomen, quam nemoroſam coloniam, ſeu inter ſylvas conſtitutam habitationem, denotat. Fertilis enim hæc regio, & inter cæte-

ras, animalium tam agreſtium quam domeſticorum, piſcium, frugum, ſylvarum aliorumq; fructuum proventibus uberrima eſt: ex quibus ingentes quotannis, præter ea quæ ab incolis ad uſum transferuntur, Principes & Nobiles viri cenſus ſibi conficiunt. Qui eam incolunt, non minus corporis robore atque viribus, quam animi generoſitate, quibus à majoribus ſuis Cimbris haud degenerant, eximii ſunt. Præter alias vero virtutes unica hæc ut honeſtiſſima, ita etiam pulcherrima ſemper viſa ipſis fuit, ut, cui promiſſis ſeſe obligaſſent, omnino fidem præſtarent: unde proverbium, *Holſtein glaub*, apud poſteros eorum noſtra adhuc ætate ſedulo colitur & ſervatur. Initium autem Cimbricæ hujus Cherſoneſi verſus meridionalem plagã Billæ fluvii curſibus terminatur. In Occidentali parte Albis fluvius regionem ambit, quam ob rem NordalbingiCimbri ſunt vocati. Trava vero fluvius Balthicumque mare ad Solis ortum ſeſe extendunt. Verſus Boream denique ad Eidaræ amniſqueLivoldi fluvios terminus regionis excurrit.

Omnis vero Holſatia, quæ abolita penitus Comitum priſtina denominatione titulo Ducatus ab Imp. Friderico III, amicitiæ & meritorum Chriſtiani I

Daniæ

Daniæ Regis ergo, ornata eſt, in quatuor potiſſimum partes dividitur: in Holſatiam ſcilicet proprie dictam, Stormariam, VVagriam & Ditmarſiam: quibus Sleſvvigæ Ducatus accedit; quem cum in feudum à Daniæ Regibus Holſatiæ Principes ſuſcipiant, ſeorſim de eo in ſequentibus agetur.

Holſatia peculiari quadam denominatione tractus ille Ducatuum habetur, cujus à terminis *Chilonium* uſque longitudo ad 9 milliaria ſeſe extendit: latitudo autem ab Eidara flumine inter *Hanrovium* & caſtrum *Halii*, ad *Monaſterii* oppidum ſeptem fere milliaribus deſcribitur: albumque urticæ folium, rubro in clypeo, à majoribus inſigne obtigit. Adjacent ipſi Inſulæ 3. una in mari Balthico *Fimbria* vocata, quæ Regis Daniæ feudum eſt: aliæ duæ, in Oceano Britannico ſitæ, ſunt *Buſena* & *Terra ſancta*. Civitates atq; Oppida habet, *Wilſtriam*. *Rendesburgum*, *Chilonium* & *Neomonaſterium*.

Wagria, quam ſub poteſtate ſua Slavi quondam detinuere, ea Ducatuum pars cenſetur, ubi nunc *Segeberga* eſt ſita, & *Lubeca* oppidumque *Oldenburgum* Travana flumine Oceanoque ad Solis ortum ambiuntur: huc & alia loca, oris Megapolitanis vicina, referri poſſunt.

Ille tractus inter Oppidum *Oldeſlohe* & pagum *Grotenbrodt* 12 milliaria longitudine fere conficit: latitudine autem ultra 5 vel 6 non progreditur. Quamvis nulla de hac provincia Principes Holſati inſignia uſurpent, caput tamen bubulum, cum Obotritorum olim ſub poteſtate fuerit, ipſi aſſignatur. Continet Civitates & Oppida: *Lubecam* Imperialem, *Lutkenburgũ, Oldeſlohe, Plonam, Oldenburgum, Neoſtadium* & *Segebergam.*

Stormariæ longitudo atque latitudo inter Albim, Billenam, Storam Svalamque flumina uſque Travenam flumen ad 7 milliaria deducitur. Cygnum pro inſigni rubro in clypeo habet candidũ, cujus aurea collum Corona impedit: idque ideo quod hæc Provincia tota ferè paluſtris, maximaq; ejus pars, propter aquę impetum, vallis munita ſit. Civitates & Oppida habet: *Hamburgum, Wedelam, Elmehornam, Crempam, Itzehoam* & *Bramſtedium.*

De *Ditbmarſia* peculiariter hoc ſciendum eſt, quod videlicet ejus incolæ, ante noſtra tempora, tam proprio quam hoſtium damno confidenter ad libertatem aſpiraverint. Quamvis enim per Fridericum Imp. III Chriſtiano I Danorum Regi in feudum conceſſi ſint: defuncto tamen ipſo inſolentes debitam ſubje-

ctionem detrectare, & proprii ſui juris, ut ante, eſſe cœperunt: Nec exigua cum Daniæ Regum, Comitum Principumque Holſatorum, tum lectiſſimorum etiam nobilium ſtrage, ſervitus aliquoties intentata ipſis eſt, donec à fortiſſimis Chriſtiani I nepotibus Iohanne & Adolpho; atque pronepote Friderico II Danorum Rege, A. C. 1559 ſub jugum ſervitutis redacti ipſi fuerunt. Subactis vero populis in duas partes æqualiter diviſa regio eſt: quarum altera in meridionali plaga Regibus Daniæ, altera autem borealis Holſatiæ Ducibus, poſt diviſionem ceſſit. Hanc *Demerſam* potius, cum inter limoſas locorum paluſtrium lacunas ſita valliſque cincta undique ſit, quam *Dithmarſiam* appellari convenit. Inter Germanicum Britannicumq; Oceanum cum Holſatia conjungitur: Albi à Meridionali, Oceano ab Occidentali, Eidara vero à Septentrionali plaga eam alluente. Integra ejus longitudo 8 fere milliarium eſt: Latitudo 5 milliaria non excedit. Illuſtriſſimi Holſatiæ Duces armato cataphracto albo equo inſidente, in ſolo rubro, clypeos ſuos hujus ratione auxerunt. Parochias magnas 21, inſulamq; *Buſenam* non procul à freto continet. Oppida habet *Meldorpium Heidam* atque *Lundenum*.

Ex

ExDucatu Sleſvvicenſi Holſatiæ Principes Regibus Daniæ, à quibus in feudum hunc Ducatum ſuſcipiunt, quoties res poſtulat, 40 idoneos inde equites peditesque 80 ſuppeditare coguntur. Longitudine autem Sleſvvicenſis Ducatus ab Eidara flumine oppidoque Rendesburgo, ad 18 milliaria verſus *Coldingam* civitatem ſe extendit. Latitudinem inæqualem habet: quæ tamen incluſis Anglia & Friſia minoribus 8 vel 7 & alicubi 6 milliarium eſt. Inſignia ſunt cærulei duo Leones in ſolo luteo. Civitates & Parochias habet plurimas.

Sicuti autem in reliquis politiis regniſque bene conſtitutis diverſi ſtatus atque ordines conſtituti ſunt: ita etiam in prædictis noſtris Ducatibus eorumque Provinciis duo Status, ſuperior nimirum & inferior, reperiuntur.

Superior ſtatus in tres ordines diſtribuitur; quorum primus Reges atque Principes, ſecundus Prælatos, tertius vero Nobilium familias continet. Generalis autem horum Ducatuum gubernatio Regi Daniæ,& quos ille conſtituit Produces ſuos, nec non Holſatiæ Duci, incumbit. In arduis tamen negotiis nihil niſi præcedente omnium in Holſatia ordinũ conſenſu decernitur: inter quos primum locum obtinet Epiſcopus Lu-

becenſis. Quando vero communis eſt deliberatio cum Sleſvvicenſis Ducatus ordinibus, Epiſcopus Sleſvvicenſis in his principem tenet locum.

Secundus Ordo duos Epiſcopatus continet: *Lubecẽſem* & *Sleſvvicenſem. Hamburgenſis* enim *Bremenſi* ſubjectus eſt.

Capitula habent 5: *Lubecenſe, Hamburgenſe, Sleſvvicenſe, Haderſlebienſe* & *Oitinenſe.*

Abbatiæ in hoc ordine ſunt 7: *Reinfeldenſis, Bordesholmienſis, Segebergenſis, Arnsbocenſis, Ciſmarienſis, Lumenſis* & *Ruenſis.*

Monaſteria item continet 15. inter quæ 5, *Itzehoenſe, Pretzenſe, Vterſſenſe, Sleſvicenſe* & *Reinbecenſe*, noſtro adhuc tempore Nympharum Veſtalium choris magno redituum proventu celebres ſunt: cæterorum fere uſus ſcholis & xenodochiis impenſus eſt.

Tertius Ordo nobilium eſt, qui arces & prædia ſua in his Ducatibus pleno jure ac dominio, quemadmodum Comites in reliqua Germania, cum venationibus, aucupiis atque piſcationibus libere poſſident. Etſi vero nulla illorum prædia, utriuſque generis feuda cenſeantur: maxima tamen ex parte allodialia & hereditaria ſunt, & ne exactionibus novis aut vectigalibus à Principibus illi graventur,

ventur, Holſatorum privilegiis atque conceſſionibus cautum eſt. Quæ Principes, priuſquam à ſubditis fidelitatis juramentum præſtatur, & ipſi ad gubernationem perveniunt, juramento confirmare tenentur. Liberam enim horum Ducatuum Status, ex Regum Principumve filiis quem velint eligendi habent poteſtatem. Quod privilegium ſpeciali quondam Chriſtiani I beneficio promulgatum ipſis eſt, cum in Ducem hic aſſumptus à poſteris confirmaretur. Neque ulla principes, abſque conſilio & conſenſu Ordinum, bella ſuſcipiunt. Nobilium lites judicio quodam (quod bis quotannis peragi debet) à Senatu Ducatuum dijudicantur, præſidentibus plerumque per vices Principibus, ex privilegio Provincialibus indulto: à quibus tamen, præſtito malitiæ juramento, ad Cameram Imperialem cauſſæ illorum devolvuntur. Sunt autem nobilium tam Holſatiæ quam Sleſvv. Ducatus familiæ 51: quorum in III hujus Status ordine mentionem fecimus: rebus eorum geſtis per ſingulas familias, quantum id fieri potuit, juſta annorum ſerie obſervatis & ſeorſum adjectis, quibus illi vel pace vel armis, & noſtra & majorum ætate celebres fuerunt.

I. *Familia Ranzoviana.*

ILluſtres ac vetuſtas Holſatorum Equitum familias inter reliquos nobilium ordines celeberrimas ſemper extitiſſe, nulli incognitum eſſe debet: Vnde etiam majora libertatis privilegia ad poſteros propagata ipſis ſunt. Harũ ſupra omnes claruit, quæ prima generoſis Ranzoviorum nobilibus incunabula præbuit. Ejus memoria & res geſtæ non operis hujus ſed voluminis integri eſſent, ſi dignitate, quam meretur, tractati deberent. Anno ſiquidem ab hinc plus quam quadringenteſimo celebrem hanc Ranzoviorũ familiam in Holſatiæ oris fuiſſe, ex clariſſimi Petri Albini Electoris Chriſtiani Hiſtoriographi ſcriptis conſentaneum eſt. Albinus enim à VViperto II, Comite Groitzenſi, nec non Marchione Luſatię, hanc Ranzoviorum familiam deductam eſſe affirmat. Cujus majores ex Cimbrica Cherſoneſo orti ſunt: & in medio relinquitur, an nomen Ranzoviorum, an vero Liſnicenſium prius extiterit, cum conſtet, Liſnicenſes ex Cimbria prodiiſſe, & jure poſtliminii veteres ſedes recuperaſſe. Obiit ille VVipertus II anno Chriſti 1124. juſtoque temporis intervallo Ottonem quendam Burggravium Liſnicenſem ſucceſſorem reliquit. Hic vixit anno Chriſti 1186. Præfectuſque belli,

quod

quod inTranſalbinis regionibus gerebatur, conſtitutus, generoſiſſimam hanc Ranzoviorum familiam arcis cujuſdam Ranzoviæ, quæ noſtro adhuc tempore à magnifico & nobiliſſimo D. Henrico Ranzovio poſſidetur, nomine inſtauravit. Ex generoſa autem Comitum Liſnicenſium proſapia nobiles Ranzovios originem habere, ex eo certiſſimum eſſe poterit, quod videlicet diverſis temporibus apud Rudolphum I Imp. intercedentes, de certis quibuſdā diſſidiis deciderunt. Clariſſimam vero noſtra majorumque memoria hanc familiam ſemper fuiſſe, ex privilegiis Holſaticis evidens eſt, ubi Principum, Comitum atq; Epiſcopatuum armis Ranzoviorum inſignia proxime adjūcta ſunt. Vrbs etiam Sleſvvicenſis cujus primarium templū Deo vero Ericus Rex Daniæ anno Chriſti 848 dicavit, ſuis inſignibus, turritæ nimirum arci, ſtellæ atque ſemilunulæ, Ranzoviorum Inſignia adjunxit. Vnde non obſcure conjicitur, ſolum Sleſvvicenſe vel olim ad Ranzovios ſpectaſſe, vel eorundem auſpiciis atque interceſſionibus, privilegiis civilibus eſſe donatum. Quod diverſæ præterea hiſtoriæ, juſta annorum ſerie deRanzovica familia hic annotatæ, documento eſſe poſſunt.

A. C. 1203. Idus Novembris, Abelus Rex Danorum, Slavorum, & Dux Iutiæ, dedit privilegium Hamburgenſibus, de navalibus (ut dicunt) paſſis: teſtis inter reliquos Epiſcopos & Comites Holſatiæ fuit Marquardus de Ranzovv.

A. C. 1236 Plonenſibus Lubecenſe jus ab Adolpho IV Schavvenburgenſi conceſſum eſt. quod duo ejuſdem familiæ ſigillis atque autographis ſuis muniverunt.

A. C. 1305 Breitardus Ranzovius fuit aulicus Henrici Brunſvvicenſis Ducis, quem mirabilem nominarunt, & 27 Ianuarii cum Duce & 42 aliis nobilibus Embecam venit, ibidemque haſtiludio, quod ejus loci in prato Ticeranger dicto celebrabatur, tribus continuis diebus adfuit.

A. C. 1322 Nicolaus Ranzovius tractationi cum Lubecenſibus interfuit.

A. C. 1334. Bruno Ranzovius VValdemari Ducis Iutlandiæ Conſiliarius Chiloniæ ſepultus eſt.

A. C. 1335, cum nonnulli ex hac familia Hamburgi pro poſteris Canonicatum erexiſſent, ſummus Pontifex R. Innocentius VII hanc fundationem confirmavit. Sicut etiam multi eo tempore varia beneficia Eccleſiaſtica in oppidis Holſatię paſſim inſtituerunt, & Coloniæ etiam

etiam adhuc noſtra ætate Conſtantini de Ranzovv à Collegio nobilium virginum in Capitolio memoria celebratur, qui eodem hoc anno ex vita diſceſſit.

A. C. 1339 D D. Detlevus & Sturo Ranzovii literis tranſactionum inter Regem Daniæ VValdemarum & Gerhardum Holſatiæ ac Schavvenb. Comitem teſtes adfuerunt.

A. C. 1340 vixit Strimo Ranzovius, cujus fit mentio in literis, quæ in Archivo Suabſtadenſi Epiſcoporum Sleſ. continentur.

A.C.1347 Hartvicus Ranzovius teſtis fuit in privilegio Iohannis Holſ. Comitis, monaſterio Reinfeldenſi conceſſo.

A.C.1362 Heino Ranz. literas quaſdã Capituli Lubecenſis obſignavit.

A. C. 1372 nomine Ottonis Ducis Brunſvvicenſis Breitardus ſive Breido Ranz. alterius Breitardi filius ſive nepos, arcem Hartzbergam, quæ nunc ſub ditione nobilium de Dornberg eſt, maſcule contra Heſſos defendit, & tandem Hardeſiæ ſepultus, ibidem beneficium Eccleſiaſticum fundavit.

A.C. 1373 Godtſchalcus Ranz. permutationem fecit cum Epiſcopo Lubecenſi Bartramo Cremone, cui Curiam ſuam Lubecæ ſitam, pagumq; Elerſtorp & Grãmendorp conceſſit, ac in locum eorum

arcem & pagos Ratmenſtorp, Merenſche & Brende recepit: ut literæ permutationis in ArchivisEpiſcoporum Lubecenſium teſtantur.

A. C. 1390 D. Breido Ranz. Eques aurat. cujus poſteri Neverſtorpum & Hohenfeldt poſſident diviſionem Comitum Holſatiæ, Storm. & Schavvenb., cum 11. equitibus inter quos ille primũ locum habuit, aliiſque nobilibus, ſigillo Chiloniæ confirmavit.

Item tranſactio, qua de mutua ſucceſſione invicem paciſcuntur, inter omnes Holſatiæ, Stormariæ & Schavvenb. Comites, nempe Gerhardum Ducem Sleſvvicenſem, Nicolaum, Albertum & Henricum, ex una: & Ottonem, Bernhardum Præpoſitum Hamburgenſem, Adolphum & Guilhelmum ex altera parte facta eſt. Teſtes ex hac familia adfuerunt D. Breido Ranz. Eques aur. Schacko & Henricus Ranzovii.

A. C. 1397 Cajus Ranz. Dominus in Krummendik diviſionem ordinavit inter Comites Holſ. & Storm. quæ ſcripto comprehenſa inArchivisGottorpiẽſibus relicta eſt.

Item Albertus & Henricus fratres diviſerunt cum Gerhardo Duce Sleſ. Comitatum Holſ. & Stormariæ, inſulam item Fimbrienſem, in 3 æquales partes.

Inter-

Interfuerunt ex hac familia & obſignarunt D. Schacko de Ranzovv. Eques aur. Goſchius Ranz.

A. C. 1399 Godtſchalcus Ranz. confirmationi privilegiorum Monaſterii Reinfeldenſis, factæ à Gerhardo Duce Sleſvvicenſi, cujus Senator erat, teſtis interfuit.

A. C. 1404 Holſati Martis iniquitate àDithmarſis ſuperati,validiſſimam munitionem Delffbrug ſanguine ſuorum partã, ipſis reſtituerunt, ut Ranzovium & Pogvviſcum captivos redimerent.

A. C. 1402 literas diviſionum, inter Henricum Epiſcopum Oſnabruggenſem, Comitem Holſ. Storm. & Schavv. ex una: & Eliſabetham Principem Holſat. & Sleſvv. natam Brunſvvicenſem, ex altera parte, obſignavit ex hac familia Dom. Godtfridus Ranz. Eques aur.

A.C.1413 Chriſtiernus Ranz. quibuſdam HolmienſisMonaſterii literis teſtis adfuit.

A.C.1416 inſulamFimbriam Schacko Ranz. ſummus belli Dux expugnavit.

A. C. 1420 VVolffhardus Ranz. Canonicus Lubecenſis & Adminiſtrator Eccleſiæ S. Petri fuit, ut ex literis in Archivo Capituli Lubecenſis contentis cognitum evadit.

A. C. 1423 compromiſerunt Henricus,

cus, Adolphus & Gerhardus Duces Sleſ-vvicenſes, & Comites Holſ. atq; Schavv. in Sigiſmundum Imp. Romanum: & Erico Regi Daniæ, Sueciæ, Norvvegiæque, & Duci Pomeraniæ, &c. fidem dederunt, ſe ſententiæ Cæſaris non refragaturos. Fidejuſſores inter reliquos Epiſcopos & Duces interceſſerunt Ranzovii: Breidekinus, Hartvicus & VValdemarus.

Item Epiſcopus Iohannes Sleſvvicēſis cum Epiſcopis Danis Ripenſi, Arhuſienſi, VViburgenſi, & Senatoribus atque nobilitate Danica & Iutlandica ſuam teſtati ſunt per literas ſcientiam de terra Suder-Iudtlandia. Inter conſiliarios Regios nominatur D. Iohannes Ranzo. Eques aur.

A. C. 1435 Struvo & Hartvicus Ranzovii, Domini in Curen, vixerunt.

A. C. 1439 Albertus II Imperator, ordinis ſui Inſignia, Draconem nimirum & Crucem Adolpho ultimo Sleſvvici Duci atque D. Schackoni Ranzovio, beneficiorum & amoris ergo, contulit.

A.C. 1446 Eggardus Ranzovius, Regius Danicus Præfectus Gorgenſis fuit.

A.C. 1455 literas inveſtituræ Ducatus Sleſvvicenſis, à Chriſtierno I tributus Adolpho Comiti Holſatiæ Stormariæ ac Schavv. ſuo avunculo, Epiſcopi & Senatores regni obſignarunt inter hos

hos D. Iohannes Ranz. Eques auratus.

A.C. 1459 Bartholdus Ranz. Caii nepos, Præpoſitus Hadelerienſis Canonicuſque Bremenſis obiit.

A.C. 1469 ex familia Ranzovia 25 literis confœderationis, quã nobiles Holſati contra civitates inierunt, ſubſcripſere.

Item Nicolaus Ranz. Schackonis filius Pretzenſi Cœnobio munere militari, præter cætera dona. 28 equos obtulit.

A. C. 1470 Segebergæ aliud ſolenne fœdus, quod confœderationem ſuperius ictam infringeret, à Rege Daniæ, Civitatibus Lubeca & Hamburgo, ac primoribus harum regionum, factum eſt: quod 18 ex hac familia Ranzovia ſubſcripſerunt.

A. C. 1490 in literis, quæ diviſionem hæreditariarum ditionum, Ducatuum, nempe Sleſvvicenſis, Holſatiæ, Stormariæ, inter Regem Daniæ, Sueciæ & Norvvegiæ Iohannem, & Fridericum hæredem Norvvegiæ, Ducem Sleſvvicenſem & Holſatiæ, &c. complectuntur, teſtes ſunt Ranzovii: Heinricus Breidonis filius, D. Iohannes Eques auratus, Heinrici filius, & Ovvenus.

A.C. 1497 Heinricus Ranzovius Caii nepos, quondam hæres bonorum feudalium in Itzeho & Præpoſitus Hamburgenſium, in arce Steinburga obiit.

A. C.

A. C. 1500, cum Iohannes Rex Daniæ Dithmarſiam bello oppugnaret, 4 Ranzovii, Ioachimus Dominus in Aſcheberg, Otto Dominus in Raſtorff, Breido Dominus in Krummendik, & Henricus, fortiter pugnantes occubuerunt.

A.C. 1504 Dethlevus Ranz. Heinrici filius, egregie in Latina & Italica lingua edoctus, Romæ ad reliquas dignitates Eccleſiaſticas contendens, ex vita diſceſſit.

A.C. 1511 D. Otto Ranz. Eques auratus, D. Schackonis nepos, obiit Chiloniæ, inque Ranzoviorum delubro ſepultus eſt. Hic Regis Daniæ Iohannis Senator fuit, arceſque Knop & Bulke hæreditario quondam jure tenuit.

A.C. 1521 Paulus Ranz. Caii filius Regis Daniæ Friderici I aulæ Præfectus obiit.

A. C. 1526 D. Heinricus Ranzovius D. Iohannis Equitis aurati filius, Dominus in Bredenburg, Ranzovisholm, VVandesburg, Tuſchebeca, Nutzkovv, Melbeck, Redingſtorff, Gronovv, VVellingsbuttel & Ranzovv, lucis uſura primum uti cœpit. Hic Regum Daniæ Chriſtiani III, Friderici II, & Chriſtiani IV in Ducatibus Sleſvvici, Holſatiæ & Dithmarſiæ Vicarius, Conſiliarius, & Segebergæ Præfecturæ per 30 annorum ſpatium

tium Adminiſtrator fuit. Loquebatur ac ſcribebat Latino ſermone expedite & eleganter, Gallicæ quoque linguæ non ignarus. Expeditioni Dithmarſiæ interfuit: quam ſubjugatam inter Reges Daniæ Holſatiæque Principes diviſit. Donatus eſt etiam à Friderico II Daniæ Rege ordine Danico, aureo videlicet elephante cum turri.

A. C. 1532 Fridericus I Daniæ Rex, & Dux Holſatiæ Chriſtianus perpetua in cuſtodia Sunderburgæ Chriſtianum II Daniæ Regem captivum detineri voluerunt. Cujus tutela quatuor ex Senatoribus Regum Daniæ totidemque Holſatiæ Ducatus commiſſa eſt: inter quos Iohannes Ranzovius, aulæ Ducum Præfectus, eſt deputatus.

A.C. 1533 confœderationem Rendesburgi in Comitiis Holſaticis Chriſtianus III Daniç rex cum fratribus ſuis impuberibus & nobilitate Danica Holſaticaque inivit: qua cautum eſt, ut auxilium, neceſſitate aliqua poſtulante, alter alteri præſtaret. Si qua vero lis inter Principes ac nobiles oriretur, ut illa dirimeretur per certum numerum Procerum Daniæ & nobilitatis Holſatiæ. Quod ſi neque ii de controverſia poſſet decidere, communi denique ſuffragio arbitri partibus conſtituerentur. Inſtrumento confœderatio-

rationis ex hac familia ſubſcripſerunt D. Iohannes Ranz. Eques aur. in Bredeburg, & Præfectus arcis Steinb. Melchior Dominus in Nienhus, Præfectus Fimbrienſis & Flensburgenſis, Henricus de Pudloſen, Schacko de Helmſtorp, Henricus de Niendorff, Andreas de Salſovv, Caſparus de Nienhus, & Cajus de Kledkampe, omnes Ranzovii.

Item Carolus V Imp. & Franciſcus Galliæ Rex, hoſtes invicem exiſtentes, uno eodemque hoc anno D. Iohannem Ranz. Equit. aur. ad ſervitia ſua bellica, ampliſſimo oblato ſtipendio, pertrahere ſunt conati.

A.C. 1536, Balthaſarus Ranz. vir exquiſite doctus, Epiſcopus Lubecenſis fuit deſignatus.

A.C. 1539, Melchior Ranzovius, Hanſii fil. D. Schackonis Eques aur. pronepos, juvenis ex vita diſceſſit. Fuit hic Chriſtiani III Regis Daniæ aulæ Præfectus: qui hoc mortuo dixiſſe fertur, gemmam ſe ex corona ſua amiſiſſe.

A. C. 1544 de diviſione Ducatuum Sleſvvicenſis & Holſ. inter Chriſtianum III Daniæ Regem, Adolphum & Fridericum Epiſcopum Sleſ. decidebatur. Adfuerunt inter cæteros Ducatuum Senatores D. Iohannes Ranz. Eques aur. & Dominus in Bredenburg, Cajus Ranz. in Kledr-

Kledikamp, Breido & Henricus Ranz. fratres & hæredes caſtri Nienhus, & Ioachimus Ranz. de Pudloſen.

A. C. 1546 Henricus Ranz. Pauli fil. Henrici nepos, caſtra ſecutus in Galliis, apud Martinũ Roſſemium turmæ equitum ductor, aqua ſubmerſus periit.

A C. 1547 Balthazarus Ranz. Sleſvvicenſis Præpoſitus, Regiſque Daniæ Chriſtiani III Conſiliarius, poſtquam Epiſcopatui Lubecenſi 11 annos cum laude præfuiſſet, captus à quodam nobili Regi inimico in captivitate vitam cum morte commutavit.

A.C. 1548 Adolphus Dux Holſatiæ in aulam Caroli V Imp. Bruxellas ſe contulit, & cum eodem ad Comitia Auguſtana, ubi omnes fere Principes totius Imperii confluxerant, profectus, Caroliquc in aula per ſeptennium pæne commoratus eſt. Inter cæteros nobiles Holſatos hujus familiæ apud ſe habuit Iacobum Ranz. de Nienſtade aulæ Præfectum, Henricum Ranz. Iohanni fil. Conſiliarium, Paulum Ranz. Cubicularium, Mauritium Ranz. & Danielem, qui inde ſe Principis venia in Italiam contulit.

A. C. 1553 Henricus Ranz. Henrici nepos cum Principe Holſatiæ Adolpho ab obſidione Metenſi unius equi-

tum turmæ ductor diſcedens, apud Treviros peſte interiit.

A. C. 1560 illuſtriſſimus atque clariſſimus Holſ. Dux Adolphus in Angliam cum 40 nobilibus Holſatis, ad Eliſabetham Angliæ Reginam profectus eſt: à qua ſplendide acceptus regioque more tractatus, tandem diſcedens ordine Anglico donatus annuoque ſtipendio auctus eſt. Inter cæteros Principi adfuerũt Conſiliarii Ranzovii: Paulus D. Iohannis Eques aur. fil. Daniel & Petrus Ranzovii fr. Godtſchalci filii, Henricus Ranzov. Caſpari filii, Mauritius & Dethlevus Caii filii.

Item Cajus Ranz. Henrici fil. Dominus quondam in Hanrovv, Kledkampe & Cherubi. obiit.

A. C. 1561 Henricus Ranz. Hanſii fil. D. Schackonis Equit. aur. pronepos, Adolphi Ducis Holſ. Conſiliarius & Præfectus Gottorpienſis, 8. Febr. obiit.

A. C. 1562 Breido Ranz. Hanſii fil., D. Schackonis pronepos, 13. Octob. die obiit. Hic à ſereniſſimo Daniæ Rege Chriſtiano in Phriſiam cum copiis equeſtribus & pedeſtribus aliquot, ut Menardum de Ham obſidione liberaret, miſſus, à D. Georgio Schenckio Caroli V Gubernatore Phriſio captus eſt. Vicarius Regius in Ducatibus

Hol-

Holſatiæ Pretzæque Præfectus fuit.

A. C. 1564 Godtſchalcus Ranzovius, quondam Dominus in Nienhofe, &c. Chriſtiani II Daniæ Regis Senator, obiit.

A. C. 1565 D. Iohannes Ranzovius Eq. aur. poſt ſuſceptum Hieroſolymis balthei militaris decus, & perluſtratas remotiſſimarum gentium provincias; quantum pacis belliquе artibus, omnibuſque corporis atq; animi eximiis bonis eniti potuit, id omne, ſecundum pietatem in Deum, uni patriæ ejuſque laudatiſſimis Principibus, Friderico I, Chriſtiano III, & Friderico II Danorum ex ordine Regibus, hujuſque patruis Iohanni & Adolpho Holſ. Ducibus, feliciſſimo eventu impédit. Hinc ſummus cum juſto imperio Dux exortis ſubinde bellis deſtinatus, qui præter copias deditaſque urbes atque arces, profligatos ejectoſque procul Cimbricis & Holſaticis finibus hoſtes, fortium Dithmarſorum contuſam & fractam armis contumaciam, octies apertis in campis diverſis præliis ſuperatas hoſtiles acies, vel ab ipſius indulgentia, vel à fœda fuga, vitam coëgit impetrare, illuſtri & fidei erga patriam ejuſquePrincipes, & clementiæ erga victos gloria: quam ad fatalem maturæ ſenectutis horam, ſine fortunæ

ludibrio, perduxit. Denique domi ſuæ veniam nactus, integris animi ſenſibus in chariſſimæ conjugis, filiorum & nepotum complexu, æterno numini ſpiritum, à quo acceperat, firma in Chriſtum fide & certa reſurrectionis ſpe confirmatus, reddidit 12 Decembris, cum vixiſſet annos 73 & menſem 1.

Item Hieronymus Ranz. D. Othonis Equit. aur. fil. Schackonis pronepos, ex vivis exceſſit.

A. C. 1570 D. Henricus Ranz. D. Iohannis Equit. aur. fil. ad pacis tractationem inter Daniæ, Sueciæ, nec non Poloniæ Reges, & Lubecam civitatem, Stetini, una cum cæteris ab utraque parte conſtitutis deputatus fuit: quo loco etiam pax inter dictos Reges rurſus conſtituta eſt.

A. C. 1571 Chriſtophorus Ranz. D. Ottonis Equit. aur. filius, Schakonis pronepos, 20. Febr. obiit. Fuit hic Præfectus arcis Tunderenſis, ejuſque liberi noſtra ætate Balcke, Knop & Seekāp poſſident.

A. C. 1572 Mauritius Ranz. Dominus in Hanrovv, Ducis Adolphi Conſiliarius, Præfectus Gottorpienſis, Dithmarſienſis & Reinebeccenſis, turmæque unius in expeditione Dithmarſica ac Gothana ductor fuit. Hydrope correptus Lubecæ obiit.

Item Theodorus Ranz. D. Henrici Producis R. filius, 27 Iunii Lubecæ obiit, ibique in templo Cathedrali ſepultus & à patre monuméti honore decoratus eſt.

A.C. 1573 ex Friderici II Daniæ Regis, & Iohannis Adolphique Ducum Holſat. nomine nobiles & Conſiliarii nonnulli ad compilationem novi Holſatici Proceſſus deputati ſunt: inter quos ex Ranzoviana familia Regis nomine D. Henricus Ranz. Produx R. Ducis verò Iohannis nomine Sigfridus Ranz. conſtituti fuerunt.

A. C. 1576 controverſia quædam de finibus, inter Fridericum II Daniæ Regem & Iohannem Holſatiæ &c. Ducem, orta eſt. Arbitri de ea decidenda à parte Ducis inter cæteros fuerunt: Ovenus Domin. in Salzovv, Dethlevus Dominus in Kledkamp, & Hanſius Dominus in Haſſelburg.

Item Sigfridus Ranz. Hanſii fil. & D. Schackonis Eq. aur. pronepos, Dominus quondam Caſtri Nienhus, inſulæ Fimbrienſis Præfecturæque Haderſlebienſis Adminiſtrator, obiit.

A.C. 1579 Paulus Ranz. D. Iohannis Eq. aur. filius, Dominus in Bodtkamp, Lindevit, &c. Ducis Adolphi Conſiliarius, Præfectus, inque obſidione Metenſi Vexillifer, nec non Legatus, cum idem

Adolphus 2000 equitum, ex mandato PhilippiRegisHiſpaniarum,DuciAlbano adduceret,cum vixiſſet annos 51 & menſes 5 dieſque 6,in MonaſterioReinebecio 16 Oct. die vivere deſiit, Itzehoæq; apud majores ſuos honorifice ſepultus eſt.

A. C. 1580, die 3 Maii, facta Othoniæ eſt collatio rerum feudalium, qua Frid. II Daniæ Rex feudaDucatus Sleſvvicenſis inſulæque Fimbriæ,ſuo quidem filiorumque tanquamHolſ.Ducum nomine, D. Henrico Ranz. Produci R. contulit.

Item Gerhardus Ranz. Pauli fil. Latinæ Gallicæque linguæ peritus, ab alio quodam nobili Holſato ſingulari in certamine,cum annos 26 vixiſſet,Othoniæ gladio peremptus ibidemq; ſepultus eſt.

A. C. 1581, die 19 Septembr., Flensburgi tranſactio de hęreditate Iohannis ſenioris Ducis Holſ., & diviſione Dithmarſiæ, inter Fridericum II Daniæ Regem, & Adolphum Holſat. Ducem, facta eſt. Nomine Regis tranſactioni ex hac familia præfuere:D.HenricusRanz. Produx R.,Dominus in BredenburgPetrus Ranz., Præfectus Flensburgenſis & Dominus inVVoldehorn: nomine verò Ducis Adolphi Dethlevus Ranz. Dominus in Kledkampe.

A.C. 1583 Iohannes Ranz. D. HenriciRanz.ProducisR. fil.,Heidelbergæ 17.

Octobr.

Octob. peſte interiit: cui pater ibidé monumentũ extrui curavit marmoreum.

A. C. 1585 Otto Ranz. Hanſii fil., D. Schackonis Equit. aur. pronepos, hæres quondam in Ranzovv & Schonevveida, 24 Decemb. ex vita diſceſſit.

Fridericus Ranz. D. Henrici Producis R. fil., Archidiaconus & Canonicus Sleſ. anno Chriſti 1557, 13 Octob. hora 5, min. 30, poſt meridiem, Segebergæ natus, nec Latinæ linguæ ignarus, apud Iohannem Caſimirum Palatinum anno Chriſti 1583 in expeditione Colonienſi aliquandiu eſt commoratus. Deinde cum Regio Danico Admiralio anno Chriſti 1584 profectus eſt in Livoniam verſus Oſel & Arnsburgum: ubi de novo Regi Daniæ Friderico II juramento ſunt obſtricti incolæ. Poſtea cum Erneſto de Mandelſlo in Gallicam expeditionem anno Chriſti 1585 abiit. Anno verò Chriſti 1586 à Statibus inferioris Germaniæ conductus fuit, ut turmam illis equitum in Belgium adduceret: qũam ubi collegiſſet, nec Ordines Belgici promiſſum ſtipendium ſolverent, tam pedites quam equites conſcripti rurſus dilapſi ſunt. Hoc ægrè adeo Fridericus Ranz. tulit, ut in phreneſin incideret: qua tamen admiſſa venæ ſectione, liberatus eſt. Anno denique Chriſti 1587

iterum in Galliam ſe contulit, Regiaſque ſecutus eſt partes, ubi tunc 29 Novemb, die, globulis per ſicarios ex inſidiis trajectus, occubuit: ſepultus in oppido Coulevere apud Bituriges.

Item Cajus Ranz. ejuſdem D. Henric. Producis R. filius, Regis Daniæ tunc temporis aulicus, cum literis tranſactionum de pace inter potentiſſimum Regem Hiſpaniarum, & sereniſſimam Reginam Angliæ Statuſque Belgicos ad illuſtriſſimum Ducem Parmenſem ablegatus, ab equitibus quibuſdam Bergenſibus, 3 à Bruxella miliaribus captus boniſque ſpoliatus eſt. Cujus gratia poſtea Rex Daniæ Fridericus II Hollandicorum negotiatorum 600 naves, injuriæ vindicandæ ergo, detinuit, quas ut recuperarent, 30000 thalerorum honoris gratia Regi obtulerunt. Ex qua ſumma Cajo Ranzovio 10000, pro perpeſſa injuria ac captivitate, ex ſpeciali quadã gratia donavit.

Item Daniel Ranz. Pauli fil. D. Iohannis Eq. aur. nepos, ſecutus partes Regis Navarræi, occubuit ſub Fabiano de Donavv, cum multis aliis nobilibus, 24 Novembr. die.

A.C. 1589, quarto Iunii die, Hafniæ Comitia infeudationis habita fuerunt, quibus. D. Henricus Ranz. Produx R.

nec

nec non Petrus Ranz. Dominus in Trojeburg, nomine Chriſtiani IV Regis Daniæ interfuerunt: Ducis vero Holſatiæ Philippi nomine Dethlevus Ranz. Dominus in Kledkamp, inter cæteros feuda à Chriſtiano IV accepit.

A. C. 1590. Cajus Ranz., Dethlevi Domini in Kledkamp & Cherubi filius, natus anno Chriſti 1570, 20 Iulii, mane hora 4, min. 14, Argentorati 15 die Octobris mortuus eſt climacterico 21, ubi operam literis navabat. Fuit magnæ ſpei & eximiæ indolis juvenis. Funus, cum voluntate parentum in patriam deferretur, magna frequentia Senatorũ, Profeſſorum & Studioſorum ad portam uſque deductum eſt. Oldenburgi 12 die Februarii à mœſtiſſimo parente Dethlevo, lugente filium hunc unicum, ſepulturæ eſt mandatus.

Item Daniel Ranz. Petri Domini in Trojeburgo & VValdehorn fil., natus anno Chriſti 1572, Ianuarii 5, h. 6. min. 40, p. m. obiit Paduæ, ubi etiam literis operam dedit, anno ætatis fere enneatico 18. Vnde poſtea funus in patriam tranſlatum, atq; VVeſſenſehæ apud majores, maximo parentis, cujus unicus erat filius, luctu tumulatum eſt.

Item Daniel Ranz. Héningi filius Dominus in Seegarté, Præpoſitus Cœnobii

Vterſeni, conſiliarius Regius in Holſatia, quondam Tribunus militum, ex vita emigravit.

A.C. 1591 Cajus Ranz. D. Henrici Producis R. filius. Reverendiſſimi Archiepiſcopi Bremenſis Holſatiæque Ducis D. Iohannis Adolphi Conſiliarius & Præfectus Gottorpienſis, Bredebergæ inter parentum amplexus placide obdormivit.

Item Dethlevus Ranz. Dominus in Kledkamp & Cherubi, Præfectus Ciſmarienſis & Oldenburgenſis, contulit Eccleſiæ Oldenburgenſi & pauperibus 1500 marcas Lubecenſes, ut inde perpetuos reditus ſibi compararent, cum unicus ipſius filius Cajus ibidem ſepeliretur.

Item VVolffgangus Ranzovius Oveni filius, ſecutus partes Regis Navarræi, menſe Novembri prope Roanam obſeſſam globo ab hoſte quodam trajectus occubuit, & poſtea ſepulturæ juſtis à Paulo Ranzovio Domino in Knop, qui eodem temporeRegi militiam navabat, dignatus eſt.

II. *Familia Alafeldia & Rumoria.*

DVxit hæc familia originem è Baronum ſtirpe in Ducatu Brunſvvicenſi: ubi extat oppidum ejuſdem nominis. Accepit autem nomen ab inſignibus,

Ala

Ala nimirum & Campo, Germanis *Velt*.

A. C. 1390 tranſactioni, qua de mutua ſucceſſione inter Comites Holſatiæ paciſcitur, teſtes ex hac familia interfuerunt D. Benedictus Eq. aur., Nicolaus & Henricus Alæfeldii fr.

A. C. 1397 in Campo Bornhovedenſi Albertus & Henricus fratres diviſerunt cum Gerhardo Duce Sleſ. Comitatum Holſatiæ & Stormariæ, inſulam item Fimbrienſem, in 3 æquales partes. Teſtes ex hac familia adfuerunt Benedictus, Nicolaus, Henricus & Benedictus junior Alæfeldii.

Item diviſio inter Albertum & Henricum fr. Comites Holſ. & Schavv., nec non Henricum, Gerhardum & Henricum juniorem Sleſvvicenſem facta eſt. Teſtes Alæfeldii adfuerunt Benedictus, Nicolaus & Henricus.

A. C. 1399 impetratam à Bernhardo Duce Sleſvvicenſi, Comite Holſ. Stormariæ & Schavv. privilegiorum Eccleſiæ Sleſvvicenſis confirmationem obſignarunt Benedictus, Nicolaus, Henricus & Benedictus Alæfeldii, Comitis Conſiliarii,

A. C. 1402 literas diviſionum, inter Henricum Epiſcopum Oſnabruggenſem, Comitem Holſ. Storm. & Schavv., ex una;

ex una: & Eliſabetham Principē Holſ.& Sleſ. natam Brunſvvicenſem, ex altera parte; obſignavit D. Benedictus ab Alæfeldt ſenior, Eq. aur.

A. C. 1404 Henricus atque Nicolaus Alæfeldii vexilla in Dithmarſico bello ferentes interiere.

A. C. 1423 compromiſerunt Henricus, Adolphus & Gerhardus Duces Sleſvvicēſes,& Comites Holſat.atq;Schavv., in Sigiſmundum Imperatorem R. & Erico Regi Daniæ.Sueciæ & Norvvegię, & Duci Pomeraniæ, &c. fidem dederunt, ſe ſententiæ Cæſaris non refragaturos. Fidejuſſores inter reliquos Epiſcopos & Duces ex hac familia interceſſerunt Dethlevus & Henricus Eq. aur., item Benedictus VVolffius, Marquardus & Goſchius Alæfeldii.

A. C. 1469 factum eſt fœdus nobilium Holſatorum adverſus vicinas civitates, & quoſlibet alios contra jus atque fas vim ipſis intentantes:cujus confœderationis literis ſubſcripſerunt Luderus Rumorius,item Hanſius Heningi filius.

A. C. 1490 in literis, quæ diviſionem hæreditariarum Ditionum, Ducatuum nempe Sleſvvicenſis, Holſatiæ, Stormariæ, inter Regem Daniæ,Sueciæ & Norvvegiæ Iohannem, & Fridericum hære-
dem

dem Norvvegiæ, Ducem Sleſv. & Holſ., &c.complectuntur,teſtes Alæfeldii ſunt: Iohannes Eq. aur., Henricus Iohannis filius, Marquardus Goſchii filius.

A. C. 1500 D. Hanſius Alæfeldius. Dux Dithmarſici belli præfectus, quod à Iohanne Rege Daniæ geſtum eſt, cum 10 ex hac familia nobilibus fortiter pugnans interiit.

A. C. 1541 Godtſchalcus Alæfeldius Epiſcopus Sleſvvicenſis, cum annos 24 ſumma cum laude Epiſcopatui præfuiſſet, mortuus eſt.

A.C.1544 facta eſt diviſio Ducatuum Sleſvvicenſis & Holſ.interChriſtiernum III,Adolphum &Fridericum Epiſcopum Sleſvvicenſem: quibus ex hac familia adfuit Goſcius de Alæfelde.

A. C. 1548 Aſinus Rumorius cum Adolpho Holſat. Duce Bruxellas in Caroli V Imp. aulam ſe contulit, & cum eo Borchardus Alæfeldius.

A. C. 1559 cum Dithmarſia à Friderico II Daniæ Rege, nec non Iohanne & & Adolpho Ducibus Sleſ. & Holſ. expugnaretur, Georgius Alæfeldius de Seegarten, & Borchardus Alæfeldius ab Heiligenſteden bello occubuerunt.

A.C.1560 profectus eſt DuxAdolphus in Angliam cũ 40 nobilibus ex his locis, inter quos fuitBenedictus in Haſeldorff.

A. C.

A.C.1571 Bartramus Alæfeldius Dominus in Lemkulen, quondam Chriſtiani III Regis Daniæ in Holſatia Vicarius Conſiliariuſque, mortuus eſt.

A. C. 1573 Nobiles nonnulli nomine Daniæ Regis Friderici II, & Adolphi Ducis Holſ. ad compilationem novi Holſatici proceſſus deputati ſunt, inter quos nomine Adolphi Ducis ex hac familia fuit Benedictus Dominus in Haſeldorff.

A. C. 1576 inter Fridericum II Daniæ Regem & Iohannem ſeniorem Holſ. &c. Ducem, de finibus aliquot locorum incidit controverſia: ad eam dirimendam 8 ab utroque & Rege & Duce Conſiliarii deſtinati ſunt: ita ut Conſiliarii Regi 8 pro Rege, alii vero 8 pro Duce ferrent judicium. Ex parte Iohannis ſenioris Ducis Holſ. interfuit Benedictus Alæfeldius in Haſeldorff, & Benedictus Dom. in Obhuſen.

A. C. 1580, die 3 Maii facta eſt Othoniæ collatio rerum feudalium, qua Dux Holſ. Adolphus Benedicto ab Alæfelde, Domino in Haſeldorff, ſuo nomine feuda contulit.

Eodem tempore Benedictus ab Alæfeldt, Bartrami filius, Dominus in Lemkulen, Steinburgæque Præfecturæ adminiſtrator, & Conſiliarius Regius, Friderici II Regis Daniæ aulæ Mareſchalcus

fuit:

fuit: à quo etiam ordine Danico, aureo nimirum Elephante, eo tempore donatus eſt. Loquitur ac ſcribit Latino ſermone expedite, Gallicæ quoque atque Italicæ linguæ peritiſſimus.

A.C. 1581, die 19 Septemb, Flensburgi facta eſt tranſactio de hæreditate Iohannis ſenioris Ducis Holſ., & diviſione Dithmarſiæ inter Fridericum II Daniæ Regem, & Adolphum Holſ. Ducem: cui nomine Principis Adolphi Benedictus ab Alæfelt Dominus in Haſeldorff interfuit.

Item Hanſius Borchardi ab Heiligenſteden filius Neapoli in Italia mortuus ibidemque ſepultus, & monumento à fratre ſuo Balthaſaro donatus eſt.

III. *Familia Reventlouja & Walſtorpica.*

HÆc cum VValſtorpica familia una eademque eſt: ut ex ſimilitudine inſignium majorumque relationibus conſtat. Ex Dithmarſia, ubi orta eſt & ſedes ſuas habuit, expulſa eſt: Interfecerunt enim Dithmarſi Henricum Revelovium cum ſervo, anno Chriſti 1460, propter pratum, quod utraque pars ſuum eſſe contendebat.

A. C. 1112 VValſtorpos in hæc loca rediiſſe, venerabilis D. Albertus Abbas Stadenſis meminit.

A.C. 1315

A.C. 1315 Hartvvicus Revelovius Comitem Holſatiæ ac VVagriæ Adolphum cum filio, propter ſtupratam filiam & fratrem decollatum, in lecto interfecit in arce Segeberga: quam ſolus, ac ſi venator Comitis eſſet, habitu ejus ingreſſus eſt. Deinde Romam venit, & abſolutionem, ob ſumptam juſtam vindictam, à ſummo Pontifice Iohanne XXII impetravit. Hac tamen pœnitentia illi injunctum eſt, ut bona ſua in uſum pauperum diſtribueret: ex quibus Refectorium Cœnobii Itzehoenſis nobilium virginum extrui poſtea curavit. Volunt autem hanc cædem perpetratam fuiſſe conſenſu Gerardi III magni, & Iohannis Comitum Holſ. Nam Gerhardus, interfecto Adolpho, ſtatim arcem Segebergam occupavit, & patrem Adolphi in Bramſted (alii Bramhorſt) Iohannem II capi juſſit: quia Adolphus interemptus cum Marchione Brandeburgenſi paulo ante conſpiraverat, qui erat ſummus illorum inimicus.

A. C. 1316 diviſionem Comitatus Holſatiæ & Stormariæ, inter Iohannem & Gerhardum fr., ſigillis confirmarunt D. Elerus de VValſtorp, & D D. Hartvvicus & Ivo de Reventlovv Eq. aur.

A.C. 1324 Gerhardus Holſ. & Storm. Comes, bona Eccleſiaſtica, ad Epiſcopatum

tum Lubecenſem pertinentia, per vim invaſit, cui reconciliationis emerendæ gratia injunctum eſt, ut comitatus 24 nobilibus, à Cathedrali Eccleſia Hamburgenſi uſque ad Lubecenſis ſummam aram, nudis pedibus iter faceret, & ab Epiſcopo HenricoBorckholt veniam delicti flexis genibus ante ſummum altare peteret ſupplex. In eo comitatu ex hac familia Hartvvicus de Reventlovv Comiti adjunctus eſt.

A. C. 1339 D. Hartvvicus Reventlovius literis tranſactionum, inter Regem Daniæ VValdemarum & Gerhardum Holſ. & Schavv. Comitem, interfuit.

A.C. 1397 in campo Bornhovvedenſi Albertus & Henricus fr. diviſerunt cum Gerhardo Duce Sleſ. Comitatum Holſ. & Storm. inſulam item Fimbrienſem, in 3 æquales partes: Teſtis adfuit Grojus Reventlovius.

A. C. 1402 D. Hartvvicus Reventlovius Eques aur. literas diviſionum inter Henricum Epiſcopum Oſnabruggenſem, Comitem Holſ. Storm. Schavvenburgiique, & Eliſabetham Principem Sleſ. & Holſ. natam Brunſvvicenſem, obſignavit.

A.C. 1484, tranſactio facta eſt inter Nicolaum de VViſchNicolai fil. & Conſules Rendesburgenſes, de bonis aliquot,

ad xenodochia S. Sancti & D. Georgii pertinentibus, inter tranſactores fuerũt Henningus & Otto VValſtorpii.

A. C. 1500 tres hujus familiæ in bello Dithmarſico occubuerunt, inter quos Hartvvicus de Gram fuit.

A. C. 1536 Dethlevus Epiſcopus Lubecenſis 29 cum per annum tantum Epiſcopatui præfuiſſet, obiit. Hic Cancellarius Friderici I Regis Daniæ fuerat.

A. C. 1544 diviſioni Ducatuum Sleſ. & Holſ. inter Chriſtianum III, Adolphum & Fridericum Epiſ. Sleſ. interfuit D. Ivenus-Reventlovius Eq. aur.

A. C. 1569 D. Ivenus Eq. aur. Conſiliarius Friderici I, & Chriſtiani III, Regum Daniæ, Dominus in Schonevveida & Richſtorff, obiit.

IV. *Familia Pogvviſchia, nobilium de Wiſch & Wolffiorum.*

POgvviſchiorum, nobilium de VViſch & VVolffiorum familia ſatis etiam generoſa vetuſtaque eſt. Chriſtiani III tempore conſtat Iohannẽ Pogvviſchium 3 equitibus comitatum, apertum inimicum ſuum Iacobum Ranzovium, in diverſorio in ſcamno dormientem, ex Lubeca circa meridiem captivum abduxiſſe.

A. C. 1239 Comes Iohannes civitatis Hamburgenſis privilegia & libertates con-

confirmavit:cujus confirmationis inter cæteros Duces, Comites atque Epiſcopos, tanquam teſtis, Sigfridus de VViſch literis eſt inſertus.

A.C. 1324 Conradus VVolffius adfuit Gerhardo Holſ. & Storm. Comiti, in eo Comitatu, qui ipſi à Cathedrali Eccleſia Hamburgenſi ad Lubecenſis ſummam aram, cum 24 nobilibus, nudis pedibus eſt injunctus.

A.C. 1339 D. Marquardus de VViſch, Eq. aur. literis tranſactionum inter Regem Daniæ VValdemarum, & Gerhardum Holſ. & Schavv. Comitem, interfuit.

A. C. 1340 Goſchius à VViſch transactionem inter nobiles Hummelbuttelenſes & Senatum Chilonienſem teſtis confirmavit.

A.C. 1374 Arnoldus VVolffius Abbas Corbejenſis Cæſareus electus eſt: Hic cum Abbatiæ annos 26 præfuiſſet, anno Chriſti 1400 obiit.

A.C. 1390 VVolfgangus Pogvviſchius transactioni inter omnes Comites Holſ. Storm. & Schavv. qua de mutua ſucceſſione paciſcuntur, teſtis eſt.

A. C. 1392 Nicolaus Comes Holſ. ac Schavvenburgenſis, & Gerhardus Dux Sleſvvic. dederunt civitati Oldenburgæ jus Lubecenſe, poteſtatemque poſt Mi-

 chaëlem

chaëlé nundinas celebrandi. D. VVolffgangus Pogvviſchius Eques auratus teſtis interceſſit.

A. C. 1399 impetratam à Bernhardo Duce Sleſvv. & Comite Holſ. privilegiorum Eccleſiæ Sleſvvicenſis confirmationem D. VVolfgangus de VViſch obſignavit.

Multi ex hac familia viri generoſi in bellis Dithmarſicis, præſertim vero anno 1404, interierunt.

A. C. 1423 Benedictus, VVolffius, Iohannes, Hartvvicus & Otto Pogvviſchii fidejuſſores interceſſerunt, cum Henricus, Adolphus & Gerhardus Duces Sleſvvicenſ. Comites Holſat. atque Schavv. in Sigiſmundum Romanum Imp. compromiſerant.

A.C. 1429 Nicolaus VVolffius Epiſcopus Sleſvvicenſis 37 electus Epiſcopatui annos 48 præfuit.

A.C. 1477 Heldericus de VViſch, Epiſcopus Sleſvvicenſis 38 electus, Epiſcopatui annos 16 præfuit.

A. C. 1490 in literis, quæ diviſionem hæreditariarum ditionum, Ducatuum videlicet Sleſvv. Holſat. Storm. inter Regem Daniæ, Sueciæ ac Norvvegiæ, Iohannem & Frider cum hæredem Norvvegiæ, Ducem Sleſvv. ac Holſa. &c. complectuntur, teſtes adhibiti ex hac

familia

familia ſunt Nicolaus de VViſch, Benedictus & Iohannes Pogvviſchii VVolffii filii.

A.C. 1493 Heldericus de VViſch, Epiſcopus Sleſvvicenſ. 38, mortuus eſt.

A. C. 1499 Dethlevus de VViſch, Epiſcopus Sleſvvicenſis 40 electus, Epiſcopatui annos 18 præfuit.

A. C. 1517 idem Dethlevus ex vita diſceſſit.

A.C. 1544 diviſioni Ducatuum Sleſvv. & Holſat. inter Chriſtianum III. Adolphum & Fridericum Epiſcopum Sleſvv. interfuerunt D. VVolffgangus Pogvviſchius, & Nicolaus de VViſch,

A.C. 1576 inter Fridericum II Daniæ Regem & Iohannem ſeniorem Holſ. Ducem de finibus aliquot locorum controverſia intercidit: ad quam decidendam 8 ab utroque deſtinati ſunt, inter quos à partibus Ducis fuerunt Iohannes à VViſch in Olpniſs & Nicolaus Dominus in Glaſovv.

A.C. 1581, die 19 Septemb. Flensburgi facta eſt transactio de hęreditate Iohannis ſenioris Ducis Holſat. & diviſione Dithmarſiæ inter Fridericum II Daniæ Regem, & Adolphum Holſat. Ducem: nomine Adolphi adfuit Nicolaus de VViſch, Dominus in Glaſovv, Conſiliarius.

V. *Familia Seſtediana.*

SAtis vetuſta ac numeroſa etiam hæc familia Seſtediana eſt: Nam in æde Epiſcopali Sleſvvicenſi, ubi plerumque humati ſunt, 72 Seſtediorum Inſignia affixa videntur, inter quos partim Præpoſiti Equiteſque aurati, partim vero Canonici fuerunt.

A. C. 1289 tres ex hac familia litteras mutui contractus ſuper pago Ricklingen obſignarunt.

A.C.1339 D D. Sigfridus & Marquardus Seſtedii Eq. aur. litteris transactionum inter Regem Daniæ VValdemarum, & Gerhardum Holſat. & Schavv. Comitem, teſtes interfuerunt.

A. C. 1404 Sigfridus Seſtedius fuit tutor filiorum Gerhardi Ducis Sleſvvicenſis in bello Dithmarſico interfecti.

A. C. 1423, cum Henricus Adolphus & Gerhardus Duces Sleſvv. Comites Holſat. & Schavv. in Sigiſmundum Romanorum Imperat. compromiſerant, fidejuſſor inter cæteros fuit Otto Seſtedius.

A. C. 1500 hujus familiæ 6 in bello Dithmarſico geſto perierunt.

A. C. 1544 diviſioni Ducatuum Sleſ. & Holſat. inter Chriſtianum III, Adolphum & Fridericum Epiſcopum Sleſvv. interfuit Cajus Seſtedius.

A. C.

A. C. 1560 Dux Holſatiæ atque Sleſvvicenſis Adolphus cum 40 nobilibus ex his locis in Angliam eſt profectus: inter quos fuit Bartramus Seſtedius, Principis Conſiliarius.

VI. *Familia Blomica.*

HÆc familia è Baronūm ſtirpe in Ducatu Brunſvvicenſi ortum habuit.

A. C. 1400 D. Ditricus Blom Eques aur. turmam equitum in Holſatiam duxit, & poſtea cum D. Schakonis Ranzovii filia contraxit matrimonium.

A. C. 1423 D. Ditricus Blom Eques aur. cum Henricus, Adolphus & Gerhardus Duces Sleſvv. Comites Holſat. & Schavvenburgenſes, in Sigiſmundum Rom. Imp. compromiſerant, fidejuſſor inter cæteros interceſſit.

A. C. 1500 Hanſius Blom & Henricus Præfectus Gottorpienſis in bello Dithmarſico occubuerunt.

A. C. 1560 profectus eſt Dux Adolphus in Angliam cum 40 nobilibus ex his locis: inter quos fuit Hanſius Blom Dominus in Seedorff.

A.C. 1581 de transactione hæreditaria inter Fridericum II Daniæ Regem, & Adolphum Holſat. Ducem decidebatur. Nomine Regis Iohannes Blom, Dom. in Sedorff, Conſiliarius Regius adfuit: Nomine vero Adolphi Ducis, Theodorico

rico Blomio Domino in Hornſtorff, Principis Conſiliario, inter cæteros commiſſa transactio erat.

A.C. 1589 Hanſius Blom in Seedorff, Conſiliarius & Præfectus Haderſlebienſis, ad Comitia infeudationum Hafniæ Regis nomine deputatus fuit.

A. C. 1592 Henricus Blomius Dominus in Hornſtorff, Archiepiſcopi Bremenſis D. Iohannis Adolphi Ducis Holſat. &c. Conſiliarius arciſque Gottorpę Præfectus fuit.

VII. *Familia Sturenſis.*

ISta familia Sleſvvicenſis & Cimbrica fuit, dives admodum ac potens: ante 400 annos rebus fortiter geſtis claruit, tres Sueciæ Gubernatores olim produxit. Nobiles autem Sturenſes quos Cimbria habuit, ex eadem familia fuiſſe ortos, ex eo evidentiſſimũ eſſe poteſt: quod videlicet, cum ultima hujus ſtirpis maſcula proles apud nos eſſet extincta, hæreditatem Sturenſes inde expetiverunt.

A. C. 1188 ab Henrico Leone Brunſvvigæ Duce, poſt ſubactam Bardevvigam civitatem, & Lubecam occupatam, Segeberga obſeſſa. auxilio Eggonis Sturen ejuſque conſanguineorum aliquot & conſortium liberata eſt.

A.C. 1340 Hummelbuttelenſes nobiles violarunt pacem publicam contra

Sena-

Senatum Chilonienſem: propterea in pœnam Comitum Holſatiæ ſunt delapſi. Transactioni Henningus Stur teſtis interfuit.

A.C. 1470 Steno Stur ſenior Princeps 140 Sueciæ electus, præfuit regno amplius 30 annis.

A.C. 1503 idem Steno obiit.

A.C. 1504 Svvanto Stur regni Sueciæ Gubernator 141 electus fuit.

A. C. 1512 idem Svvanto Stur è vivis diſceſſit.

Eodem anno Steno Stur junior, Suecorum Gotthorumque Princeps 142 electus præfuit regno annos 18.

A. C. 1530 Steno Stur junior ictu bombardæ exſpiravit.

VIII. *Familia Bockvvoldia.*

BOckvvoldia familia à fagineis ſylvis dicta, quarum maximam copiam habet, ut etiam ingentes ex porcis ſaginatis inde quotannis ſibi reditus comparare poſſit, magna & plurima prædia arceſque munitas olim habuit. Orta tamen aſſidua inter Bockvvoldios Comiteſque Holſat. & civitatem Lubecam contentione, plurimis iiſque munitiſſimis ab iiſdem prædiis atque arcibus exuta eſt. Vnde accidit, ut 10 Bockvvoldiorum, conniventibus Holſatiæ Comitibus, in prædiis capti à Lubecenſibus

capitis ſupplicio affecti ſint. Inter quos primum locum Lupum Bockvvoldium obtinuiſſe conſtat, qui cum à carnifice ad capitis ſupplicium ſe trahente nomẽ percontaretur, ille vero Percam ſe vocari diceret, in hæc verba erupit: Vah quam indecorum & contra naturæ ordinem eſt, quod tam parvus piſcis debet conſumere Lupum.

A. C. 1203, Idus Novembris, Abelus Rex Danorum, Slavorum, & Dux Iutię, dedit privilegium Hamburgenſibus de navalibus paſſis: teſtis inter Epiſcopos & Holſat. Comites adfuit D. Dethlevus à Bockvvolden, Eques auratus.

A. C. 1340 D. Dethlevus transactionem inter nobiles Hummelbuttelenſes & Senatum Chilonienſem ſigillo confirmavit.

A.C. 1390 Nicolaus & Vlradus Bockvvoldii fr. transactioni de mutua ſucceſſione, inter Comites Holſat. Storm. & Schavv. factæ, teſtes adfuerunt.

A.C. 1397 Nicolaus à Bockvvolde literis diviſionis ditionum, factis inter Albertum & Henricum Holſatiæ & Schavv. Comites, teſtis adfuit.

A.C. 1402 D. Nicolaus à Bockvvolde, Eques aur. diviſionem inter Henricum Epiſcopum Oſnabruggenſem, Comitem Holſat. Stormar. Schavvenburgiique,

& Eli-

& Eliſabetham PrincipẽHolſatiæ & Sleſvvici,natãBrunſvvicenſem, obſignavit.

A.C. 1484 tractatio facta eſt inter Nicolaũ de VViſch,Nicolai filium,& ConſulesRendesburg,de bonis aliquot ad xenodochia S.Sancti & D.Georgii pertinẽtib⁹.Inter transactoresDethlevus àBockvvoldenDethlevi filius deſignatus eſt.

IX. *Famlia Krummendikiana.*

Nomen hęc familia accepiſſe videtur, quod gentes in paluſtribus vallorumque mole circumductis locis poſſeſſiones ſuas habuerunt.

A. C. 1316 diviſionem Comitatus Holſatiæ & Stormariæ, factamChiloniæ in feriisPaſchalibus inter Gerhardum & Iohannem fratres, ſigillo ſuo confirmavit Nicolaus de Krummendik.

A.C. 1324 Nicolaus de Krummendik uterque ſenior & junior adfuerunt Gerhardo Holſat. & Storm. Comiti, in eo Comitatu, qui ipſi à Cathedrali Eccleſia Hamburgenſi uſque ad Lubecenſis ſummam aram nudis pedibus eſt injunctus.

A.C. 1339 D. Nicolaus Krummendik Eques aur. literis transactionum, inter Regem Daniæ VValdemarum & Gerhardum Holſatiæ & Schavvenb. Comitem, teſtis adfuit.

A.C.1381 Luderus Krummẽdik caſtrũ Rendesburgum oppignoratum tenuit.

A.C.

A. C. 1390 Haſſius Krummendick transactioni inter omnes Holſatiæ, Stormariæ & Schavvenb. Comites, de mutua ſucceſſione factæ, interfuit.

A.C. 1399 Burchardus Krummendichius impetratam à Bernhardo Duce Sleſvv. & Comite Holſat. privilegiorũ Eccleſiæ Sleſvvicenſis confirmationem obſignavit.

A.C. 1402 D. Ericus Eques aur. diviſionem inter Henricum Epiſcopum Oſnabruggenſem, Comitem Holſatiæ, Stormar. Schavvenburgenſemque, & Eliſabetham Principem Sleſvvigæ & Holſat. natam Brunſvvicenſem, obſignavit.

A. C. 1423 Henricus Krummendichius, cum Henricus, Adolphus atque Gerhardus Duces Sleſvv. Comites Holſat. & Schavvenburgenſes in Sigiſmundum Romanum Imper. compromiſerant, fidejuſſor interceſſit.

Dominus Ericus Krummendik, Eq. auratus tutor filiorum Gerhardi Ducis Sleſvvicenſ. in Dithmarſico bello cæſus fuit.

A.C. 14‘6 D. Albertus Krummendik Eques auratus, Epiſcopus Lubecenſis 23 electus annos 25 Epiſcopatui præfuit.

A. C. 1489 idem D. Albertus Krummendik Eques auratus Lubecæ obiit: cujus

cujus ſepulchrū in Cathedrali ęde 6000 marcis Lubecenſibus non paratum eſſe ſtatuitur.

A. C. 1490 in literis, quæ diviſionem hæreditariarum ditionum, Ducatuum videlicet Sleſvv. Holſat. Storm. inter Regem Daniæ, Sueciæ, ac Norvvegiæ Iohannem, & Fridericum hæredem Norvvegiæ, Ducem Sleſvvic. ac Holſat. &c. complectuntur, teſtis eſt aſſcriptus Burchardus Krummendichius.

X. *Familia Meinſtorpica, ſive Meindorpica.*

MEinſtorpica & Meindorpica eadem eſſe familia creditur: etſi quædam in clypeo diverſitas à Clemente II Pontifice facta appareat.

A. C. 874 D. Ludolphus à Meindorp Eques aur. & judex inter Nordalbingos, in pugna contra Nordtmannos fortiter dimicans interiit.

A. C. 988 Adelgerius à Meindorff Hermannum Billingium, qui ante Schavvenburgenſes Comites in Cimbria imperium habuit, commendans Otthoni I, II, III. Imperatoribus, (quibus chariſſimus fuit) obiit.

A. C. 1047 Svvidigerus à Meindorff vir eximia doctrina, virtute & ſapientia præditus, Henrici II Imp. Cancellarius, cum primum Epiſcopus Bambergenſis

ſis fuerat, & poſtea ad Pontificalem dignitatem evectus, Clemens II erat vocatus, veneno interfectus Romæ obiit.

A. C. 1340 Dethlevus Meinſtorff transactionem inter nobiles Hummelbuttelenſes & Senatum Chilonienſem teſtis confirmavit.

A. C. 1418 Henricum Meinſtorffium, cum Segebergenſibus privilegia ſunt data, Comites Holſatiæ Conſiliarium habuerunt.

A. C. 1423 Henningus Meinſtorffius, cum Henricus, Adolphus & Gerhardus Duces Sleſvvicenſes, Comites Holſat. & Schavvenburgenſes, in Sigiſmundum Romanum Imperatorem compromiſerant, fidejuſſor interceſſit.

A. C. 1589 Chriſtophorus Meinſtorffius Chriſtinæ Holſatiæ Principis Præpoſitus Chiloniæ fuit.

X I. *Familia Suiniana.*

SViniana hæc familia noſtra hac ætate apud Cimbros eſſe deſiit. Duo potiſſimum, Ioachimus & Paulus Suiniani, ex prælio clari fuerunt, quod 11 Iunii, anno Chriſti 1535, Chriſtiani III Regis Daniæ nomine à D. Iohanne Ranzovio Equite aurato in Ochſenberg, cum Comitibus de Hoja & Tecklenburgo, commiſſum fuit. Ioachimus vero lethaliter in hoc prælio vulneratus eſt: Paulus poſtea

ſtea in Rochlitz, cum Marchio Albertus Brandenburg. ab Electore Saxoniæ Iohanne Friderico illic caperetur, periit.

XII. *Familia Stakiana.*

A. C. 1312 Iohannes & Marquardus literas confœderationis Comitum Holſ. obſignarunt, fueruntque pro eis fidejuſſores.

A. C. 1364 Henningus obſignavit literas transactionis inter Adolphum Ducem Sleſ. & Hamburgenſ.

A. C. 1415 Marquardus vendidit Oldenburgenſibus agros ſuos ac prata: quam venditionem Henricus Dux Sleſ. Comes Holſ. Storm. & Schavv. confirmans diſpoſitioni juris Lubecenſis ſubjecit.

A. C. 1423, cum Henricus, Adolphus & Gerhardus Duces Sleſ. Comites Holſ. & Schavv. in Sigiſmundum Rom. Imp. compromiſerant, fidejuſſor interceſſit Iohannes Stake.

A. C. 1472 Elerus, propter prædas in juventute factas, à Lubecenſibus capitis ſupplicio eſt affectus.

XIII. *Familia Brocktorpiana.*

HÆc ante multos annos excelluit: unus etiam ex hac familia Henrico Comiti Holſato Hamburgi adfuit, cum fædus contra Regem Daniæ, ur-

bem

bem Sleſvvigam oppugnantē, ictum eſt.

A.C. 1390 D. Henricus Brocktorffius Eq. auratus transactioni inter Comites Holſatiæ, Storm. & Schavv. qua de mutua ſucceſſione paciſcūtur, teſtis adfuit.

A. C. 1397 literis diviſionis Ducatuum, factis inter Albertum & Henricum Holſ. & Schavv. Comites, Henricus Brocktorffius teſtis adfuit.

A. C. 1418 D. Henricus Brocktorffius Eq. aur. Comitum Holſ. Conſiliarius, Præfectuſq: arcis Segebergenſis fuit.

A. C. 1490 in literis, quæ diviſionem hæreditariarum ditionum, Ducatuum nempe Sleſ. Holſ. & Stormariæ, inter Daniæ, Sueciæ & Norvvegiæ Regem Iohannem, & Fridericum hæredē Norvvegiæ, Ducem Sleſ. & Holſ. &c. complectuntur, inter reliquos teſtis fuit adhibitus Sigvverdus Brocktorffius.

A. C. 1548 Dethlevus Brocktorffius cum Duce Adolpho in Caroli V Imperatoris aulam Bruxellam ſe conferebat.

A. C. 1582 Dethlevus Brocktorffius, Friderici ſenioris filius, Tribunus militūm iſto in bello, quod Senatus Gedanenſis contra Poloniæ Regem geſſit, deſignatus fuit.

XIV. *Familia Breidiana.*

FAmilia Breidiana antiqua eſt: poſſeſſiones ſuas in Sleſvvicēſi Ducatu olim

& hodie habens. Ex hac familia Anna D. Ottonis Ranzovii uxor orta eſt, quæ ardenti foco impoſita, ut filios, quo loco abſconderat, indicaret, dolores quos ex flammis ſenſit patienter tulit, ut filios à captivitate ſervaret.

A.C. 1340 Henricus Breide tranſactionem inter nobiles Hummelbutteléſes & Senatũ Kilonienſem ſigillo confirmavit.

A. C. 1402 Iohannes Breidenus diviſionem inter Henricum Epiſcopum Oſnabruggenſem, Comitẽ Holſatiæ, Storm. Schavvenburgiiq;, & Eliſabetham Principem Sleſ. & Holſ. natam Brunſvvicenſem, obſignavit.

A.C. 1417 unus ex hac familia literas Comitis Holſ. Henrici datas Hamburgenſibus ſigillo confirmavit.

A.C. 1423 Ioachimus Breidenus, cum Henricus, Adolphus & Gerhardus, Duces Sleſ. Comites Holſat. & Schavv. in Sigiſmundum Romanum Imp. compromiſerant, fidejuſſor interceſſit.

A. C. 1484 tranſactio facta eſt inter Nicolaum de VViſch Nicolai fil. & Conſules Rendesburgenſes de bonis aliquot ad xenodochia S. Sancti & D. Georgii pertinentibus: inter tranſactores deputati ſunt Henricus & Hartvvicus Breidiani D. Ioachimi Eq. aur. filii.

A. C. 1500 Marquardus, inter cæte-

 ros

ros Holſatiæ nobiles, bello Dithmarſico interiit.

XV. *Familia Heſtenica.*

A. C. 1390 D. Hartvvicus ab Heſten tranſactioni inter omnes Holſ. Storm. & Schavv. Comites, de mutua ſucceſſione factæ, interfuit.

A. C. 1397 D. Hartvvicus ab Heſten, Eq. aur. literis diviſionis ditionũ inter Albertum & HenricumHolſ. &Schavv. Comites teſtis adfuit.

A. C. 1401 D. Hartvvicus, vel ut alii volunt, Laurentius ab Heſten, Eq. aur. tutor Ducis Sleſvvicenſis Gerhar. filiis, cum ille in belloDithmarſico àIohanne Rege geſto occubuiſſet, cõſtitutus, apud Bramſtedium ab Henrico Gerhardi fratre, electo Epiſcopo Oſnabruggenſi, quem Gerhardus propter filiorum detrimentum tutorem admittere noluit, peremptus eſt.

A.C. 1402 D. Hartvvicus Heſtenius, Eq. aur. literas diviſionum inter Henricum Epiſcopum Oſnabruggenſem, Comitem Holſ. Storm. Schavvenburgiiq;, & Eliſabetham Principem Sleſ. & Holſ. natam Brunſvvicenſem, obſignavit.

A.C. 1423, cum Henricus, Adolphus & Gerhardus Duces Sleſvvi. Comites Holſ. & Schavv. in Sigiſmundum Romanum Imp. compromiſerant, fidejuſſor

juſſor inter cæteros interceſſit Laurentius ab Heſten.

A. C. 1500 Luderus ab Heſten cum filiis VVolffrado atque Bartramo in bello Dithmarſico occubuit.

XVI. *Familia Qualiana.*

A.C. 1448 Iverus hujus familiæ, literas inter Comites Holſ. & Hamburgenſes confectas obſignavit.

A.C. 1500 Dethlevus à Qualen in bello Dithmarſico occubuit.

A. C. 1561 Ioſua Friderico II Daniæ Regi turmam equitum contra Regem Suecum adduxit: qui deinceps ab Erico Sueciæ Rege in Helmſted cum aliis nobilibus Danis obſeſſus eſt.

Frater ejus Ioſias eodem hoc bello Regi Daniæ adfuit: qui poſtea Adminiſtraturæ Steinburgenſis & denique Gottorpienſis etiam præfectus Duciſque Adolphi Conſiliarius fuit.

A.C.1592 Otto de Qualen ſenior Præfecturam Tunderenſem eſt moderatus.

XVII. *Familia Wonſefletica.*

HÆc familia quamvis auguſta ſatis atque nobilis olim fuerit: pauci tamen hoc tempore ejus nepotes repeᵃriuntur.

A. C. 1592 VValdemarus ultima maſculæ ſtirpis proles in hac ſuperſtes fuit.

rio Segebergenſi. cui 8 manſos in pago Niengoritz contulit.

A. C. 1402 Ludekinus VVenſinianus diviſionem inter Henricum Epiſcopum Oſnabruggenſem, Comitē Holſ. Storm. Schavvenburgiiq;, & Eliſabetham Principem Sleſ. atque Holſ. natam Brunſ. obſignavit.

A. C. 1500 Nicolaus in Dithmarſico bello interiit.

XX. *Familia Dammiana.*

VIxit in hac familia, noſtra memoria, Bartramus à Dam, Conſiliarius Friderici II Regis Daniæ.

A. C. 1470 Fœdus Segebergæ, inter Chriſtianum I Daniæ, Sueciæ & Norvvegiæ Regem, Epiſcopos Lubecenſem atque Sleſvvicenſem, nec non proceres Holſatiæ & civitates, factum eſt: literis confœderationis ex hac familia ſubſcripſit Dethlevus à Damme.

A. C. 1592 Emekinus Dominus in Seheſted Cœnobii Pretzenſis Præfectus fuit.

XXI. *Familia Tinen.*

NIcolaus de Tinen Erici Regis Daniæ & Ducis Pomeraniæ caſtrum quoddam, parva Tundern nominatum, fortiter defendit: vi tamen atque armis inde tandem ejectus eſt.

A.C. 1469 factum eſt fœdus nobilium

Holſatorum adverſus vicinas civitates, & quoſlibet alios contra jus & fas vim ipſis intentantes: cujus confœderationis literis ſubſcripſit Dethlevus de Tinen.

A. C. 1500 Otto de Tinen in bello Dithmarſico à Iohanne Rege Daniæ geſto occubuit.

XXII. *Familia Hagenica.*

HOneſta ſatis & nobilis Hagenica familia eſt. Ex hac ortum trahens Nicolaus, Dominus quondam in Nubel, bello Dithmarſico interiit.

A. C. 1590 Henningus ab Hagen, Dominus in Nubel, Philippi Ducis Holſ. Conſiliarius, Præfecturam in Lumenkloſter per aliquot annos adminiſtravit.

XXIII. *Familia Holkiana.*

EX meridionali Iutia ſive Sleſvvicenſi Ducatu Holkiana hæc familia eſt orta: poſſeſſioneſque ſuas in Alſena Provincia habuit Henricus Holke ſupremus Friderici primi Daniæ Regis Secretarius: cujus in locum jam Chriſtianus filius apud Chriſtianum IV ſucceſſit.

XXIV. *Familia Pleſſena.*

VEtus & hæc familia eſt, & ſatis ampla quondam fuit: ſed nunc pauci ſunt ſuperſtites, qui familiæ hujus dignitatem & nomen tutantur.

XXV. *Fa-*

XXV. *Familia Gadendorpica.*

FOrtes ac animoſos hæc familia Gadendorpica produxit viros.

A. C. 1386 Dethlevus Gadendorpius controverſias cum Lubecenſibus habens, Capitaneum eorum Heinonem Scherffenberg in aperto campo interfecit, & deinde etiam advocatum oppidi Mollenſis alioſque quam plurimos, qui inimici ejus fuerant, fortiter proſtravit.

A. C. 1387 idem Dethlevus Gadendorpius conjuratione quadam cum aliis quibuſdam nobilibus Holſatis adverſus cives Lubecenſes conſpiravit, ut ſenatores interficerent, urbemque hac ratione ſpoliarent. Quod ubi per Conſulis filium innotuit, qui caput proditionis fuerant, decollati, rotæque ſupplicio à ſenatoribus affecti ſunt: Inter quos fuerunt Arnoldus Finninge, in cujus ædibus nefanda hæc conſilia agitata ſunt: Item Iohannes Kalefeldt & Hieronymus de Minda, quorum unus ante mortem in foro totam ſeriem proditionis & ejus rei conſcios populo enarravit.

A. C. 1397 Godtricus Gadendorpius literis diviſionis ditionum, factis inter Albertum & Henricum Holſatiæ & Schavvenburgii Comites, teſtis deſtinatus fuit.

XXVI. *Familia VVittorpiana.*

EX hac familia nobiles munere Stabularii plerumque functi ſunt apud Adolphum Ducem Sleſ. ultimum ex Schavvenburgenſium Comitum familia: ita & apud Chriſtianum I Daniæ Regem; in cujus officii ſui quaſi teſtimonium quotannis aliquot equæ ad propagationem idoneæ ipſis ad hodiernum diem in ſylvis Segebergenſibus aluntur.

A. C. 1582 Dethlevus VVittorpius in obſidione Plotzcovia ſtrenue Signiferi vice fungens, crebris ex hoſtili munitione lapillis ictus, in lecto poſtea expiravit.

A. C. 1591 Paulus VVittorpius, cum Iohanne Friderico Duce Holſ. ad Landgrafium Guilelmum profectus, aulæ ejus Magiſter fuit.

XXVII. *Familia Hokena.*

A. C. 1390 D. Didericus ab Hoken, Equ. aur. tranſactioni inter omnes Holſ. Storm. & Schavv. Comites, qua de mutua ſucceſſione pactum eſt, interfuit.

A. C. 1392 Theodoricus teſtis privilegiorum fuit, quæ Comites Holſ. ac Schavv. Nicolaus atque Gerhardus civitati Oldenburgenſi de nundinis celebrandis dederunt, à quibus etiam jus Lubecenſe ipſis datum eſt.

A. C. 1397 Theodoricus literis diviſionis ditionum, factis inter Albertum

&

& HenricumHolſ. & Schavv. Comites, teſtis fuit.

A. C. 1566 Mauritius ab Hoken D. Iohannis Ducis Sleſvvic. atque Holſ. ſenioris Mareſcalcus Haderſlebiæ fuit.

XXVIII. *Familia Ottenia.*

FVit hęc familia celebris: protulit enim aliquot viros Medicos doctos ac inſignes. Matthæus fuit Friderici I Daniæ Regis Archiater, & in maxima apud illum gratia habitus. Hic quondam prædium Apenſtorff prope Sleſvvigam habuit: cui 4 filii, Michaël, Matthæus, Galenus atque Ptolomæus fuere. Horum Michaël ex conjugio felici & honeſto Matthæum juniorem genuit: qui omni doctrinarum linguarumque aliquot præcipuarum cognitione imbutus, magna cum laude à ſecretis & conſiliis eſt reverendiſſimo atque illuſtriſſimoPrincipi ac D. D. Alberto, Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinali, Archiduci Auſtriæ, cum antehac dictumAlbertum & VVenceſlaum fratres Maximilianus II Rom. Imperator ejus curæ atque diſciplinæ commiſiſſet, ejuſque inſignia duobus campis auxiſſet.

XXIX. *Familia Hojerenſis.*

HAbet hæc familia Caſparum Hojerum PræfectũEiderſtedenſem, Conſiliarium quondam Adolphi DucisHol-

ſatiæ, nunc autem Iohannis Adolphi Archiepiſcopi Bremenſis & Lubecenſis Holſatiæ Ducis: à quo, anno Chriſti 1590, miſſus Hafniam, feudum ejus nomine à Chriſtiano IV de Ducatu Sleſvvicenſi ſuſcepit. Eſt enim, ut doctrina & ſtudiis excultiſſimus, ita etiam conſilio atque prudentia celeberrimus.

XXX. *Familia Vkena.*

A. C. 1339 Petrus Uke literis tranſactionum inter Regem Daniæ VValdemarum, & Gerhardum Holſatiæ, & Schavvenburgenſem Comitem teſtis adfuit.

A. C. 1580 Paulus Uke, Præfectus Sunderburgenſis, Ducis Iohannis nomine Ducatum Sleſvvic. à Chriſtiano IV Rege Daniæ in feudum ſuſcepit.

XXXI. XXXII. *Familia Motena, & Magnuſſena.*

XXXIII. *Familia Roſencrantzia ac Ivenzena.*

A. C. 1576 inter Fridericum II Daniæ Regem & Iohannem ſeniorem Holſatiæ Ducem de finibus aliquot locorum controverſia intercedit, ad quam decidendam octo ab utroque deſtinati ſunt: inter quos à partibus regiis fuit Georgius Roſencrantzius, Dominus in Roſenholm.

A. C. 1581 Georgius Roſencrantzius in Roſenholm, Friderico II Daniæ Regi, cum inter ipſum atque Adolphum Holſatiæ Ducem Flensburgi de hæreditate Iohannis ſenioris tranſigeretur, adfuit.

XXXIV. XXXV. *Familiæ Kerckbergiana* & *Stouena.*

XXXVI. XXXVII. *Familia Casbrochia* & *Munkiana.*

IN Casbrochiana familia ante aliquot tempora Epiſcopus Oſnabruggenſis extitit.

XXXVIII. *Familia Ritzeroviana.*

XXXIX. XL. XLI. *Familia Wogia, Hackia,* & *Herbergiana.*

EX VVogiana familia Evvaldus fuit cubicularius, per aliquot annos, D. Iohannis Senioris, hæredis Norvvegiæ, Ducis Sleſvvicenſis & Holſatiæ: à quo prædio quodam donatus eſt. Poſtea Præfectus fuit Friderici II Regis Daniæ in Haderſleben per aliquot annos.

XLII. XLIII. *Familiæ Penſena* & *Grabavia.*

A.C. 1590 Iohannes Penſius, Balthaſari filius, & liberalium artium ſtudioſus, turbis quibuſdam in urbe Chilonæa excitatis, vulneribus aliquot à civibus acceptis poſt aliquot dies interiit.

XLIV. *Fa-*

XLIV. *Familia Lankena.*

Egidius, Monaſterii Borsholmienſis & AdolphiDucis Holſatiæ aulæ Præfectus Conſiliariuſque fuit. Hic peculiari quodam morbi genere mortuus eſt: & duos filios Hanſium atque Egidium in hac familia ſuperſtites reliquit: quorum uterque liberalitate illuſtriſſimæ Principis Holſatiæ Chriſtinæ eodem in Monaſterio ad ſtudia aluntur.

XLV. XLVI. *Familia Siverſena atque Kolerana.*

Siverſena habuit Sigfridum Eiderſtedenſis adminiſtraturæ præfectum.

A. C. 1592 ex Kolerana Balthaſarus Monaſterii Vterſeni præfecturam adminiſtravit.

XLVII. XLVIII. *Familia Levena & Paiſena.*

XLIX. L. LI. *Familia Peterſena, Anderſena, & Iohanſena.*

Ex Sleſvvicenſi Ducatu ſive Meridionali Iutia hæ familiæ originem ſuam habent.

Cum hactenus enumeratæ ſint familiæ nobilium Holſatorum, operæ precium, ut nec rem Lectori ingratam, me facturum putavi, ſi, quantum quidem ejus rei mihi contigit notitia, ſuccinctũ Catalogũ ſubnecterem, qui uno intuitu exhi-

exhiberet numerum ſimul maſculorũ, qui ex ſingulis familiis jam ſunt ſuperſtites; ac caſtrorum munitorũ, arcium, prædiorumque ad ſingulas familias pertinentium. De quo poſteriore tamen notandum, non comprehendi palatia, quæ Lubeci, Flensburgi, Chilonii, Itzehoæ, aliiſque in civitatibus familiæ nonnullæ poſſident.

Familia *Ranzoviana* habet ſuperſtites maſculos 116. Inter quos ſenior exiſtit *Chriſtophorus Ranzovius*, Dominus de Quernebeck, qui annos natus 89; vir vivida ſenecta, pedibus ſatis firmis, memoria mediocriter tenaci, ſenſibuſque vegetis præditus. Secundum à tanta ætate locum obtinet Dominus Vicarius regius *Henricus Ranzovius*, qui annum jam agit 67. Poſſidet familia hæc caſtella, arces ac prædia 71.

Alæfeldii ac *Rumorii*, qui ſub una familia continentur, maſculi 59: arces ac prædia habent plus minus 35 Senior hujus familiæ eſt *Georgius Alæfeldius* de Lemkulen, qui exceſſit 74 ætatis annũ.

Reventlovv & *VValſtorp*, maſculi 7, arces ac prædia 6.

Von der VViſch ac *Pogvviſch*, maſc: 28, arces ac prædia 18.

Seſtede, maſc. 16, arces ac præd. 9,

Blome, maſc. 13, arces ac prædia 8.

Fami-

Familia *Sturen* (quod ad maſculos) in his regionibus eſſe deſiit,& bona ejus per matrimonium ad *HanſiumBlomium* pervenerunt. At in Suecia vivunt nonnulli ex hac familia oriundi,qui ab Erico Rege Sueciæ Comites ſunt creati.

Bockvvold, maſc. 24, arc. ac præd.11.

Krummendik, maſculi 2, prædium unum.

Meinſdorf, maſc. unus, prædium unum.Ex hac familia prodierunt *Meinſdorffii*, qui in Marchia degunt; quorum quatuor adhuc vivi, arces habent 3.

Brocktorff, maſc. 14, præd. ac arces 8.

Breida, maſc. 3, præd. unum.

Heſten, maſc. 2, præd. unum.

Qualen, maſc. 4, prædia 2.

Wonsflet, maſc. 1, præd. 1.

Ratlovv, maſc. 7, præd. 2.

Wenſin, maſc. 8, præd. 1. Ex hac familia unus vivit extra Holſatiam, qui 2 arces per matrimonium acquiſivit.

Dam, maſc. 2, præd. 2.

Van Tinen, maſc. 6, arces 2.

Hagen, maſc. 3, prædium unum.

Holck, maſc. 2. Vendiderunt Duci Iohanni prædium in Alſen ſitum, & emerunt aliud in Dania.

Pleſſen, maſc. 10, præd. 2.

Gadendorp, maſc. 3. Vendiderunt hoc anno ſuam poſſeſſionem.

Wittorp,

Wittorp, maſc. 3, prædium unum.

Haken, maſc. 2, præd. unum.

Ex familia *Ottenia* unus adhuc eſt ſuperſtes, *Matthæus*, qui degit cum bonis ſuis in Hiſpania, eſtque à Secretis Alberto Auſtriaco Cardinali.

Heveria, maſc. 3, pr. 3, in Eiderſtadio.

Vkenia, maſc. 2, præd. 2.

Mœtenia, maſc. 1, præd. unum.

Magneſſen, maſc. 2, prædium 1.

Roſenkranzia, familia in Dania eſt ſatis ampla ac ſplendida, in qua nonnulli Senatores regni ſunt: Vnus tamen ex eadem prognatus in Ducatu hoc prædium habet.

Kerckberg, maſc. 1, domicilium habet in civitate.

Stoven, maſculus unus.

Kaſſenbrock, maſc. 3, præd. 1 in Epiſcopatu Oſnabruggenſi.

Moncken, maſc. 1, prædium unum.

Wogiana, maſc. 3, præd. 1.

Hacken, maſc. unus, domicilium habet in civitate.

Harberg, maſc. 2, præd. 1.

Penſen, maſc. 4, domicilia in civitate habent.

Grabovv, maſc. 1, domicilium habet in civitate.

Lancken, maſc. 3, domicilia habent in civitate.

Siver-

Siverſen, maſc. 1, qui nuper mortuus. poſſedit prædium, quod ad *Ranzovios* tranſlatum eſt.

Koler, maſc. 3. domicilia in civitate.

Leven, maſc. 1. qui vendidit *Gerardo Ranzovio* Henrici V Regis filii prædium Morſum in Inſula Strand ſitum.

Paiſena, maſc. 2, prædium unum.

Peterſen, maſc. 1, præd. 1.

Anderſen, maſc. 3, prædia 2.

Iohanſiana. Hæc familia in Daniam diſceſſit; adhuc enim aliquot ruſticos in Holſatia tenet.

Sciendum eſt autem, quod, Ducatibus in tres ęquales partes diviſis, duę cedant Holſatiæ Principibus, ut vix tertia relinquatur Nobilitati, excepta inſuper Dithmarſia, ac civitatibus, quarũ nonnullæ proprios habent pagos. Vnde facile conſtabit ei, qui rem æqua lance pendere voluerit, quam cultus ſit, ac multis arcibus prædiiſque ornatus horum Ducatuum tractus. Vt autem de commodis quoq; iſtius Lector æſtimare poſſit, pauca de iis ſubjungam. Hi ipſi Ducatus varias frumentorũ ſpecies progignunt, triticum, hordeum, ſiliginem, avenam, panicum, & reliqua legumina: Ac tanto quidem proventu, ut in alias Provincias annuatim annona hinc tranſmittatur. Piſcibus tam marinis

quam

quam fluvialibus abundant, ita ut qui loca prope flumina Mare Occidentale illabentia incolunt, ſingulis menſibus varii generis piſcibus, qui propter ſaporis præſtantiam in deliciis habentur, frui affatim queant. Præterea in locis Ducatuum mediterraneis ſunt nonnullæ piſcinæ & ſtagna, quibus incolæ per intervallum aliquot annorum alternis vicibus, nunc ad ſationes, nunc ad piſcationes utuntur. Magnum etiam lucrum accedit ex venditione lignorum, ſaginationibus porcorum, & paſcuis. Nam reperiuntur Nobiles qui uno anno ex ſaginatione porcorum ſummam 4000 thalerorum confecerunt: Cum tamen præcipuas ſilvas Principes obtineant, in quarum nonnullis 20000 porcorum ſaginari ſimul poſſunt. Sic quoque ſingulis annis non exiguus numerus equorũ, boum, ac porcorum ex his oris in alias Provincias adjacentes divenditur: Ut interim taceam, quantum emolumenti ex ovibus, hædis, lana, nec non mellis copia ad illos redundet: Extant item in Holſatia multa varii generis molendina aquatica, quorum quædam ad contuſionem frugum, leguminum ac corticum, quædam ad diſſectionem lignorum. nonnulla autem ad æris, papyri, pulveriſque pyrii confectio-

nem extructa ſunt: Pręter ſalinas ac calcifodinas, quæ multis in locis ibidem habentur. Et cum in his Ducatibus maximæ ſint ſilvæ, ſaltus ac nemora, abundant ea quoque variis ac multiplicibus feris, quarum venatione ac captura Principes pariter ac nobiles delectantur, ut ſunt, capreoli, apri, cervi, lepores, vulpes, lupi, &c. Avium quoque nulla eſt penuria, quas bombardis, aliiſque inſtrumentis incolę perſequuntur ac capiunt, ut ſunt, grues, cygni, anſeres, anateſque, ſilveſtres & paluſtres, &c. Cum autem ſolum Holſaticum vini minime ferax ſit, aliunde id variis ex locis per mare advehitur, ſicut & aromata, quæ nihilominus propter copiam & oportunitatem loci precio non adeo magno comparari poſſunt. Vini loco & cereviſia bona plurimis locis coquitur, diverſi tamen ſaporis, coloris, ac virtutis, inter quas Hamburgenſis merito palmam obtinet. Ex his conſtat, hunc Ducatum, licet inter reliquos Germaniæ tractus ſit ultimus, ubertate tamen ſoli, fertilitate agrorum, hominum numeroſa multitudine, ac mercaturæ negociationiſque exercitio, reliquis minime inferiorem eſſe: Præſertim cum ex eo ipſo in Scotiam, Angliam, Belgium, Galliam, Hiſpaniam, Italiam, deinde &

in

in Iſlandiam, Norvvegiam, Daniam, Sueciam, Pomeraniam, Boruſſiam, Lithuaniam & Ruſſiam navigatio inſtitui ac mercatura ibidem exerceri poſſit: Vt omnibus liquet id fieri maxime ab Hamburgenſibus, Lubecenſibus & cæteris.

Inferior regionum Holſaticarum Status duos potiſſimum ordines complectitur, civium videlicet, & ruſticorum.

Omnes fere in his Ducatibus civitates, ex ſingulari Principum ſuorum gratia, certis quibuſdam privilegiis donatæ ſunt, jureque vel Romano vel Lubecenſi utuntur.

Civibus à ſententiis, quas Senatus tulit, ad 4 civitates, Kilonium, Rendesburgum, Itzehoam Oldeſloamque, judicio peculiari appellationis exercendo deſtinatas, provocare licet. De quibus vero ipſæ decidere nequeunt, certis conditionibus ad Principes & Senatores Holſatię, nonnunquam etiam ad Cameram Imperialem appellatio devolvitur.

Hujus ordinis Civitates atque Oppida in his Ducatibus 31 numerantur: quarum hæc ſunt nomina: *Lubeca, Hamburgum, Flensburgum, Sleſvviga, Huſena, Haderſlebia, Sunderburga, Nicopia, Tundera, Rendesburga, Breidſtedia, Itzehoa, Chilonia, Oldeſloa, Crempa, Wilſtria, Segeberga, Neoſtadium, Ecere-*

fordia, Heiligenhava. Oldenburga, Plæna, Lutkenburga, Oiſina, Meldorpia, Heida, Lundena, Tonninga, Gardinga, Burgum, Wedela.

Secundus inferioris Status Ordo duo Ruſticorum genera complectitur: quorum alii hæreditaria atque libera, alii vero conductitia & angaria, vel quibuſcunque aliis ſervitiis obnoxia bona poſſident.

Illi præterea aut ſcripto jure de controverſiis decidunt: aut propriis ſuis cauſidicis, ſub dio, de cauſſis illorum, in præſentia præfecti duorumque aſſeſſorum, agitur. Cumque in medium prodierunt litigantes, diligenter à parte utraque exploratis rerum momentis, ruſticorum cætus ad deliberandum modumq; ſententiæ ſtatuendũ exire jubetur. Quibus pro agreſti captu conſideratis, ad conſeſſum redeunt, & quicquid vel exemplis, vel craſſis naturę illorum rationibus, juſtum ipſis eſſe videtur, per conſtitutum quendam præconem litigatoribus in medium pronunciant. Qui in utroque genere judicato acquieſcere nolunt, illis debito modo ad Senatores Principum, vel commune forum Holſaticum, nonnunquam etiam ad Cameram Imperialem, pro rerum de quibus litigatur dignitate, provocare liberum eſt.

Hic

Hic Ordo, pręter reliquas horum Ducatuum Colonias, ſequentes etiam Provincias asq; Inſulas continet: *Angliam. Stapelholmum, Eiderſtadium*, quod & *Friſiam minorem* continet, *Fimbriam, Strandt inſulam, Alſenam, Arram, Buſſenam, Terram ſanctam, Sundevvidt, Siltam, Baſſœam, Arrœam, Schvvantzenam, Kekenitzam peninſulam.*

IX.

ARNGRIMI IONAE ISLANDI TRACTATVS, DE Iſlandicę gentis primordiis, & veteri Republica.

CAP. I.

Iſlandiæ ſitus Coſmographicus & Geographicus, ac appellationum diverſarum Hiſtoria.

ISLANDIA eſt Inſula Septentrionis vaſto circumfuſa Oceano. Cujus latitudo Coſmographica, ad Boream, Holis nempe, quæ ſedes eſt Epiſcopalis, Borealis Iſlandiæ, gr. 65, 44. Longitudo vero gr. 13, 30 circiter. Nec

enim præciſe affirmavero, ob eum ſcrupulum, qui eſt à parallaxi Lunæ in eclipſium obſervationibus metuendus. Quē ſolum inveſtigandæ longitudinis modū hactenus adhibuit clariſſimus vir, *Gudbrandus Thorlacius*, Borealis Iſlandiæ Epiſcopus modernus: qui nobis longitudinem & latit. hanc ſui loci communicavit: primuſque, quod ſciam, hac in re aliquid certi apud noſtrates prodidit. Vbi quamvis alii alia, ſubtiliſſimam diligentiam impedientia, metuant: nos eam tamen, incertiſſimis nautarum conjecturis, ac multo magis exotericorum ſcriptorū de hac re ſententiis, non minus contrariis quam variis, quas alibi collegimus, longe poſthabitis, ſequimur haud inviti; dum forte alias aliquid magis exquiſitum, magiſque, ut loquuntur, ad unguem, ſive ipſius D. Gudbrandi beneficio, ſive alterius, monſtratum fuerit.

Ea vero (quæ hodie, ac inde à primo incolarum ingreſſu, Iſlandiæ nomen gerit) tum adhuc inculta, varias à variis inventoribus appellationes ſortita eſt: quarum tres commemorantur.

Primum namque *Snælandia* dicta eſt. Etenim *Naddocus*, quidam pirata, *Inſulas Farenſes* (ab ovium multitudine *Fareyar* vulgo appellatas) verſus con-

tendens, ad littora Orientalis Iſlandiæ tempeſtate delatus eſt, non procul à monte, *Reiderſiall* poſtea dicto, ad ſinum *Reidarſiord:* qui conſcenſo monte, viciniam late contemplatus, omnia deſerta comperit: oram autem ſub autumnum ſolvens, animadvertit montium altiora cacumina nivibus largioribus obduci: atque idcirco è re nata, nomen fecit inſulæ *Snælandia*, id eſt, *Nivoſa terra.*

Hunc ſecutus alter, *Gardarus*, *Suavari* filius, natione Suecus, fama, quam de *Snælandia Naddocus* attulerat, impulſus, eam quæſitum abiit: repperit etiam, ad Orientale littus appellens: ac inde circum inſulam vectus, in ſinu Borealis Iſlandiæ *Skialſanda* ſubſtitit, ibidemque hybernavit, anno Chriſti 864: fecitque portus nomen *Huſavvich;* ab hybernis ſeu domibus ibidem exſtructis. Ineunte autem vere, in Norvvegiam ſoluturo Gardaro, ſcapha tempeſtate abacta eſt in portum priori vicinum: eratque in eadem ſcapha nautarum quidam *Nattſare* dictus: à quo etiam iſti portui nomen *Natſaravvick*. Porro Gardarus ad ſuos reverſus, terram novam appellavit *Gardarsholm*, quaſi Gardari inſula, neglecto Snælandiæ nomine.

Quin etiam plures terram recens inventam viſendi inceſſit cupido. Nam & tertius quidam *Floco*, famoſiſſimus & ille pirata, *Gardarſsholmam* inviſurus, ſolvit ex portu Norvvegiæ, qui eſt ad ſpeculam ſeu potius Farum *Flokavvarda*, ſitum in limitibus provinciarum *Hordalandiæ* & *Rogalandiæ*: perque *Hiatlandiam* (quæ quibuſdam male *Schetlandia*) tranſiens, nomen portui cuidam, etiam poſtea retentũ, indidit *Flokavvogur*: ibidemque ſtagnum (in quod Floconis filia *Geirhillda* caſu ſuffocata eſt) ab ipſa *Geirhilldarvvata* dictum eſt: Non ſecus ac pontus, in quo *Hellen* caſu quodam *Phryxus* amiſit, *Helleſpontus* nuncupabatur. Nondum erat pyxidis nauticæ uſus. Quocirca *Floco Hiatlandiam* relinquens, corvos aliquot ſibi adjunxit. Cumque ſibi videretur magnum jam iter navigando confeciſſe, corvum unum dimiſit: qui in ſublime evolans, conſpectam retro *Hiatlandiam* repetiit. Vnde colligens *Floco*, ſe adhuc *Hiatlandiæ* quàm reliquis terris viciniorem, atque ideo ſtrenue pergens, corvum emiſit alterum. Qui quod terram nullam ante vel à tergo conſpiceret, in navim recidit. Demum vero corvus tertius à *Flocone* emiſſus, & itinere majore ex parte confecto, terram nau-

tis

tis optatam ſubtilis viſus acumine aſſe-cutus, eodem celerrimo fertur volatu: cujus ductum ſecutus *Floco*, latus inſulæ Orientale, ut anteceſſores, primum conſpicatus eſt: inde ad Auſtrum curſum dirigens, patentiſſimum ſinum inter promontoria duo, *Reykanes* & *Snæfellsnes* poſtmodum dicta, 12 mill. Iſlandica latum deprehendit. Audiens autem ex nauta quodam, (quem ſecum habebat,) natione Scoto, cui *Faxa* nomen, vaſtum illud eſſe, quod jam obvium haberent amnis ſeu fluvii oſtium; *Floco*, ad notandam *Faxæ* ſtultitiam, ſinum maris tam vaſtum fluvii oſtium reputantis, nomen fecit ſinui inter prædicta promontoria intercepto *Faxaos*: quod *Faxæ* oſtium. Hic ſinus, ob portuum multitudinem, poſtea dictus *Hafnafiordur*: quæ appellatio hodie ſpecialius de ejuſdem ſinus portu quodam tutiſſimo *Hafnafiordur* uſurpatur.

Dehinc latus inſulæ Occidentale legens *Floco*, ſinum *Breidafiord* ſubintravit, in portu quopiam provinciæ *Bardaſtraund Watnsfiordur* dicto (utor enim appellationibus poſtea natis) ſubſiſtens: ibidemq; hyberna parans, ex piſcibus varii generis, quibus ſinus abũdabat, commode vixit. Hic vero vernum tempus frigore intemperatiſſimũ nactus depre-

hendit, ſinum, qui à Borea hanc terræ partem ingreditur, glacie marina, quam *Gronlandicam* appellamus, repleri. A qua glacie *Floco* tertium finxit inſulæ nomen, *Iſland.* Sed & alteram hyemem, ad Meridionale latus converſus *Floco*, in Iſlandia tranſegit: Reverſuſque in Norvvegiam, à corvis, quibus pro pyxide nautica uſus eſt, cognomen *Rafnafloke* ſortiebatur.

Et Iſlandia quidem has appellationes ab inventoribus conſequenter nacta eſt: Nam ad quartam, *Thule*, quod attinet, quæ huic terræ à quibuſdam affigitur, non poſſum adduci ut veram eſſe credam; hoc potiſſimũ argumento: Quod *Thyle* ſeu *Thule*, inter veteres, non ſolum Plino Nat. Hiſt. lib. 2, cap. 75, & lib. 4. cap. 16, (floruit autem Plinius circa annum Chriſti 80) & qui Plinio antiquior, Pythiæ Maſſilienſi, ſed etiam Pub. Virgilio, qui ultra annum Chriſti 14 non ſupervixerat, in ore & ſcriptis frequens fuerit: Iſlandia vero ad annum uſque Chriſti 874, ut poſtea dicam, inculta prorſus manſerit. *Thule* itaque, quam Auguſto ſervituram dixit Virgilius, (*Georg.* 1: *tibi ſerviat ultima Thule:* ubi vel pueris notum, *Thulen* pro *Thules* incolis, ſynecdochice dici) Auguſti & Vergilii temporibus non ſolum habitata,

tata, ſed etiam Romanis cognita, non eſt Iſlandia, multa poſt ſecula habitari primum cœpta. Videtur præterea ipſe Plinius, loco citato poſteriore, inſulis Britãnicis *Thulen* accenſere: *Vltima* (inquit) *omnium* (inſularum Britannicarũ ſcilicet; de his enim illi ſermo eſt) *quæ memorantur, eſt Thule.* Idem etiam Virgilium voluiſſe, conſentaneum: qui ultimam dixit Thulen, loco citato: & ſimiliter *penitus toto diviſos orbe Britannos:* id eſt, ultimos. Idem porro argumentum, à Claudiani Alexandrini, & hoc longo antiquioris Pub. Papinii Statii, ætate, urgere liceat. Claudianus enim circa annum Chriſti 390 canit de belli Getici à Theodoſio geſti ſucceſſibus:

Famaq; nigrantes ſuccincta pavoribus alas. (uſque Britannum
Secum cuncta trahens, à Gadibus
Terruit Oceanum: & noſtro procul axe remotam (Thulen.
Inſolito belli tremefecit murmure

An vero Iſlandiam incultam & deſertam fama tremefecerit? Statius vero Claudiano trecentis annis antiquior ſic, lib. 3. Sylvar:

Quanquam etſi gelidas irem manſurus ad Arctos, (Thules.
Vel ſupra Heſperiæ vada caligantia

Audis, non levem modo famã de Thule ad

le ad Statium perveniſſe, ſed vada, ſyrtes ſeu brevia, in acceſſu inſulæ deprehenſa, frequenti navigantium relatione ipſi ſatis cognita fuiſſe: cujuſmodi in circuitu Iſlandię, quod ſciam, nulla ſunt: quod experientia loquitur: at in Britannicarum inſularum acceſſu longe frequentiſſima; ut ferunt.

Premamus ipſum hoc argumentum ulterius à D. Hilarii ætate: qui anno Chriſti 372 obierat: de cujus fama ſic Fortunatus:

Eloquii currente rota penetravit ad Indos,
Ingeniumque potens ultima Thule (*colit.*

Quid vero illud eſt, quod Statius vocat Heſperiam Thulen, id eſt, occidenti ſubjectam; Eo enim & Hiſpania, Heſperia dicta. Aſt Auſonius, Aquilonigenas Britannos, Edyll. 12:

Aut Italum populos, Aquilonigenaſque Britannos.

Ex quorum ſententia *Thule* occidentalior ſit Britannia. Nec valet argumentum, quod à noctium & dierũ brevitate utrobique, in Iſlandia nempe & Thule, quidam petivit: in ſolſtitio nempe æſtivo nullas habere noctes. Nam & idem ipſis Britannis Iuvenalis tribuit: Satyr. 2:

— *Arma quid ultra*
Littora Iuverna promovimus, & modo [(*captas*
Orcha-

Orchadas, ac minima contentos nocte Britannos?

Deinde à ſola loci latitudine, quamvis maxime eadem eſſet, (id quod non largimur) concludere, *Thulen* eſſe Iſlandiam, non fuerit artis.

Ex recentioribus Iohannes Myritius, alibi (quod citatus nobiſcum ſentire ſe apertius oſtendit) in opere ſuo Geographico aſſerit, Thulen eſſe ultimam in ditione Scoti (Scotos autem Britannorum nomine venire, ſatis notum) ſub poli elev. gr. 63: atque hac unius diei navigatione abeſſe mare Cronium, in quo ſit Iſlandia. Quod ipſum, de Cronii maris à *Thule* diſtantia monens Plinius, Concretum appellat, per quod nos Glaciale intelligimus. In quo tamen Iſlandiam non ſitam aſſerimus: Siquidem in limitibus zonæ frigidæ à circulo Arctico ad polum includimus: Islandia vero circulum Arcticum aliqua Borealis ſui lateris parte tantum attingat. Etenim prædicti loci, ſedis nempe cathedralis Holenſis, Zenith, ut ex latitud. aſſignata patet, 46 minutis abeſt à circulo Arctico.

Vidit autem hoc, (*Thulen* non eſſe Iſlandiam) reliquis plerumque ſanior, Petrus Ramus, in omni literarũ genere ſcriptor exquiſitus: qui mecũ concludit com-

comment.in 1Georg. Verg. *Thule*, inquit inſula eſt Oceani inter Occaſum & Septentrionem, ultra Britanniam, latit. gr. 68, long. 11, ultima Romanis tum cognita (cum ſc. Vergilius ſcriberet Georgica. Iſlandia enim remotior eſt; & multæ Norvvegiæ regiones. Hæc Ramus & Myritius: qui quam rite *Thules* latitudinem & long. attigerint, hoc loco nihil refert; dummodo eam ab Iſlandia diverſam ſtatuant. Quamvis igitur Saxo Grammaticus vel alii Iſlandiam *Thulen* appellarint: & Iſlandos, *Thulenſes*: apparet tamen hinc, eoſdem opinione magis, quam rei veritate ductos, ſic ſtatuiſſe: id quod mihi hoc loco nequaquã diſſimulandũ fuit: Si enim Iſlandia eadem eſſet cum *Thule*, rueret totum hujus narrationis fundamentum de Iſlandia anno Chriſti 874 habitari primum cœpta: Quod tamen cum irrefragabilis hiſtoriarum conſenſus firmet, ruat illud neceſſe eſt, *Thulen* eſſe Iſlandiam. Et hæc de áppellationibus Iſlandiæ, & ſitu coſmographico.

Ipſius vero amplitudinem ſeu longitudinem & latitudinẽ Geographicam, non ſatis exacte nobis tradiderunt veteres. Longitudo ejus eſt, ab Oriente in Occidentem, nulla ſat certa menſura, quod ſciam, hactenus expreſſa: ut nec lati-

latitudo à Borea in Auſtrum: Niſi quod in antiquo codicillo reperi, eſſe longitudinem xx dierum iter; latitudinem, ubi maxima, quatuor dierum. Sunt autem itinera, ut alibi, ita etiam apud nos, imparia. (hic tamen intelligo *pyngmannaleid*: xx *dagleider* eſt in autographo. Nec expreſſum, equitis, an peditis. Latitudo autem ipſa non eſt ubiq; eadem: ob ſinus utrinque, ab Auſtro ſcilicet & Borea, terram ipſam imparibus ſpaciis ingredientes. Terminus Orientalis *Auſturhorn*: Occidentalis *Raudeſandur*: (nam promontorium *Snæfellsnes* magis verſus Lybanotum) Borealis vero terminus *Langanes*: Auſtrinus *Reykranes*. A quatuor etiam mundi cardinibus inſula diviſa eſt in Borealem, Auſtralem, Orientalem, Occidentalem. Et Borealem quidem Iſlandiam ab Orientali promontorium *Langanes*; ab Occidentali, ſinus *Rutafiordur*; ab Auſtrali, teſquorum vaſta deſerta, ſecundũ longitudinem inſulæ porrecta, diſcriminant. Auſtralem vero Iſlandiam, Boreali teſquorum iſtorum interjectu oppoſitam, ab Orientali fluvius *Ioculſa*, in deſertis *Solſeimaſande* decurrens; ab Occidentali etiam notabilis fluvius, Albis nomen ſortitus, & in ſinum *Borgarfiord* ſeſe exonerans, dividit: Adeo

ut:

ut ſi liberet inſulam humana ſpecie repræſentare; Orientalis Iſlandia capitis rationem obtineret: promontoria duo inſigniora, *Langanes.* & *Reykranes*, ſeu termini, ille Borealis, hic Auſtrinus, ut dictum, brachiorum vicem gererent: deſerta vero, ſecundum longitudinem inſulæ porrecta, dorſum vel ſpinã conſtituerent: tum Borealis & Meridionalis Iſlandia ſcapulas cum lateribus; quæ in ipſis hypochondriis ſinus duo oppoſiti, *Borgarfiord* & *Rutafiordur*, à coxendice utrinque dirimerent; hic à Meridie, ille à Borea: Occidentalis vero Iſlandia reliquam inde ab hypochondriis corporis humani partem referret; quam ſinus *Breidefiordur*, ab Occidente ingrediens, in dextrum & ſiniſtrum pedem diſtringeret.

Inſulæ etiam ambitus nihilo certius conſtat: vetus tamen fama & opinio (ut alibi quoque annotatum eſt) 144 milliaria Norvvegica (uti exiſtimo) numerat, hoc eſt, Germanica 288, cenſente Chytræo Norvvegicum duo Germ. æquare: ab uno promontorio ad aliud legendo non per ſinus: Quos Borealis Iſlandia 11. Orientalis 21, Auſtralis 6, Occidentalis 70, habere numeratur. Atq;iſta ſunt fere quę de inſula ipſa chorographice initio attingenda duximus.

CAP. II.

Iſlandia à quibus, quando, & qua occaſione habitari cœpta.

HAraldo *Pulcricomo* (quem, ſi à cæſarie Cęſar dicitur, quid obſtat, quin Cæſarem appellemus?) rerum potiente in Norvvegia, plurimum ſane pæcipuæ Nobilitati Norvvegicæ deceſſit: id quod hiſtoria Norvvegica late perſequitur; latius tamen hiſtoriæ particulares nobilium familiarum à Pulcricomo expulſarum, ut deinceps ſcribendum veniet. Pulcricomus enim, regia poteſtate ſeu ſummo imperio, hoc eſt, legum, magiſtratus, belli ac pacis & provocationis jure (eo enim Regem definiunt cum alii, tum Bodinus; Meth. hiſt. cap. 16.) non contentus, omnia ſibi proprietarii jure vendicabat; eoque tributa annua non minus nobilibus quam vulgo imperabat; pauciſſimis exceptis, quibus cum vel affinitatis vel amicitiæ neceſſitudo intercedebat. Quæ *Pulcricomi* vis, licet incolis merito injuſta viſa, propter finem tamen bonum in hiſtoriis non magnopere improbatur: Ea enim Deus opt. max. transferens regna, & conſtituens imperia, ad ὀλιγαρχίαν καὶ ὀχλοκρατίαν (qua miſera Norvvegia, inde poſt Nori primi

regni Norvvegici conditoris tempora, laborarat) tollendam uſus videtur. Cæterum, quod Pulcricomus ex æquo in omnes graſſabatur, etiam hos, qui ſuis prædiis & poſſeſſionibus contenti, nihil publicum affectabant, id vero excuſari nec debet nec poteſt. Vnde factū; quod, ut quiſque nobiliſſimus, ut quiſque divitiis & potentia maxime pollens eſſet, ita ſtrenuiſſime tam injuſtum tamque inviſum imperium detrectaret: Adeo ut maluerint plurimi opulentis prædiis & patria excedere, quam generoſitatem ſuā ſervitio & tributis commutare: id enim ſua & majorum virtute prorſus indignum ſunt rati. Ortæ hinc ſunt plurimum mutuæ in Regem Regioſve injuriæ; ut, cædes regiorum vel amicorum vel neceſſariorum, tum rapinæ terra marique exercitia: ne ſcilicet Rex tam injuſtum relictorum bonorum invaſionem impune prorſus auferret. Ab his igitur nobilibus familiis, Haraldianam vim detrectantibus, inſula hæc noſtra cum vicinis incoli cœpta: idque his fere veſtigiis & itineribus.

Anno enim reparatę ſalutis 874, Norvvegiæ quidam incola, *Ingulfus*, patria excedens, *Naddoci, Gardari* & *Floconis* ſuperius commemoratorum veſtigia ſecutus, transferendæ in Iſlandiam habitatio-

tationis anteſignanus factus eſt: idque hac occaſione. Fuit *Ingulfus* natalibus clarus & divitiis, patrem habens *Orn*, quod Aquilam ſonat, Ducem *Fyrdafylcenſem* in Norvvegia. *Ingulfi* ſoror *Helga* fuit, virgo omnibus ornamentis muliebribus prædita. Ejuſdemque ſobrinus *Leifus*; qui à gladio inſigni, quem ſingulari virtute bellica in Irlandia nactus eſt, *Hiorleifus* eſt dictus. *Hior* enim gladius eſt. Erant adhæc id temporis in nobilitate Norvvegica fratres tres Germani, *Hallſtenn, Helmſtenn, Herſtenn*; *Atla* vel *Atlantis* Baronis cujuſdam Norvvegici filii: Quibus cum prædictis illis *Ingulfo*, & *Hiorleifo* ſimultates quædam interceſſerunt, quæ mox in cædes eruperunt cruentas. Nam cum forte convivarentur unà, votum aliquod ſollenne ſingulis concipiendum more ſui ſeculi injunxerunt. Primus itaque *Herſtennus* vovit, ſe aut *Helgam Ingulfi* ſororem, in uxorem ducturum, aut nullam. Mox *Ingulfus*: ſe nullum in hæreditatem paternam ſecũ admiſſurum eſſe, quàm ſolum *Hiorleifum*: innuens, ſororem *Helgam*, ſe conſentiente, non niſi *Hiorleifo* nupturam: contra nempe *Herſteni* votum, de eadem ſola ducenda. Deinde *Holmſtenus*; ſe, ſi quando arbiter inter partes adverſas deligeretur, nulla ra-

tione adigendum, ut ſententiam injuſtam ferret. Atque ſic reliqui deinceps. Succeſſit paulo poſt *Ingulfi* votum. *Hiorleifus* enim ſobrinam *Helgam* in uxorem accepit. Licita namque erant eo tempore ſobrinorum cõjugia. Hinc *Herſteni* ſummum odium & inimicitiæ adverſus prędictos *Hiorleifum* & *Ingulfum*. Qui idcirco fratre *Holmſteno* adſcito, ſex navigiis milite completis, *Hiorleifum*, tribus tantum navibus uſum & iter in exteras parantem, inopinato aggreſſus eſt. Cujus impetum *Hiorleifus* diu & fortiter ſuſtinens, ab interveniente quodam amico adjutus, cæſo *Herſteno*, ſuperior evaſit. *Homlſtenus* autem, fuga ſibi conſulens & fratris nece non parum exacerbatus, poſt menſes aliquot armata manu, *Ingulfum* cum *Hiorleifo* domi oppreſſurus, advenit. De quo illi per exploratores certiores facti, eundem armato præſidio excipiunt & cædunt. Supervixit fratrum tertius, *Hallſtenus*; reliquis prudentior: qui ſe injuſtis fratrum turbis non immiſcuerat. Hujus arbitrio *Ingulfus* cum *Hiorleifo* rem totam dijudicandam committunt memorem voti, de æquitate non violanda, ſtatuentes. *Hallſtenus* igitur fratrem *Herſtenum* jure occiſum pronunciat: *Holmſtenum* vero, qui acerbo dolore com-

compulſus, necem fratris aliqua clade ulciſci voluiſſet, non item. Ob ejus cædem igitur, ambos provincia *Fyrdafylcenſi* exulare juſſit. Parent non inviti arbitro, cui cenſuram ſponte concrediderant: Patriamque relinquendi ſtudio, fundos & prædia mercibus & nummis divendunt, & magnum facinus, gentis novæ in terra nova condendæ, animo concipiunt: idque non *Hallſteni*, (quicum per iſtam transactioné in gratiam redierant: cui etiam alioqui viribus facile certaſſent,) ſed ipſius *Pulcricomi* metu, in patriam & cives etiam innocuos, pro obtinenda, ut dictum, non monarchia ſolum, ſed παμπησία ſeu univerſorum poſſeſſione, graſſantis: Nec enim id de Haraldiana vi dubium: diſerte enim in filii ſucceſſoris *Haquini Adalſtenii* hiſtoria legitur, eum Regia poteſtate contentũ, ſingulis ſua reſtituiſſe, quæ pater injuſte ſibi vendicarat.

Annus erat Chriſti 870 quo *Ingulfus* cum *Hiorleifo* Iſlandiam primum inviſunt; ſed eam non mox, verum exacto quadriennio, anno, ut dictum, 874, incolunt: numeroſas adducentes familias.

Porro *Ingulfus* in conſpectum inſulæ veniens, poſtes ædium, quas in Norvvegia habuerat, in undas abjicit more Ethnico: pro oraculo habens, eum ſibi

fataliter delectum habitandi locum, quē poſtes in littus ejecti deſignarent. Eam conſuetudinem plurimi Norvvegorum ſolum vertentes retinuerunt. Appulit autem Ingulfus non quo poſtes, ſed ad promontorium meridionalis (alibi maſe, occidentalis) littoris, à ſuo nomine dictum *Ingulshofde*. Attamen poſtes ædium quas diximus, integrum triennium deſiderans, reperit tandem in eo loco, qui *Reychiarvvich* nominatur; ibique habitationem condidit. *Hiorleifus* vero, ab Ethnica ſuperſtitione magis alienus, ſedes poſuit in promontorio *Hiorleifshofda*: à ſuo nomine ſimiliter denominato. Domus ibidem extruxit majuſculas: unam 126, alteram 135 pedes longā. Hic, primo anno labente, agrum colere & ſementem facere occepit: In quo opere cum ſervos, quos ſecum decem ex Irlandia adduxerat, exercuerat, illi *Hiorleifi* jumentum ab urſo ſylveſtri peremptum mentiti ſunt. (urſos enim non niſi adventitios habere Iſlandiam, poſtea compertum eſt.) Quem cum *Hiorleifus* ulciſcendi animo in ſylva vicina inveſtigaret, à ſervis iſtis in inſidiis latentibus fraude interemptus eſt, cum ſociis aliquot ſibi adjunctis: ſervis tam uxores, quam bona occiſorum rapientibus; inque inſulas à littore

non ita procul diſtantes fugientibus: quę poſtea ab iiſdem ſervis dictæ ſunt *Weſtmafyar;* eo quod ex Irlandia eſſent; Norvvegi autem Irlandos, Anglos, Scotos *Weſtmenn*, id eſt, Occidentales homines appellabant; cum illæ terræ verſus Occidentem à Norvvegia diſtent. Hos homicidas inſecutus *Ingulfus*, in eiſdem inſulis oppreſſos ad unum omnes delevit: ob opportuni amici & affinis fatū animo valde exulceratus.

Iſlandiam autem prorſus incultam & deſertam *Ingulfus* reperit & occupavit: ſylvis denſiſſimis, & vix niſi betullis feracibus undique conſitam: ita ut ad itinera & habitationes, ſylvas paſſim ſecuri aperire, neceſſum fuerit. Interim tamen ex ſignis quibuſdam colligere erat, nautas neſcio quos quædam terræ littora aliquando attigiſſe, non incoluiſſe, nempe nolas, cruces ligneas, aliaque opere & arte Irlandica & Britannica facta, deprehendit *Ingulfus*: aſt domuum vel habitationum vel culturæ veſtigia nulla. Vnde veriſimile eſt, piſcatores Irlandos vel Scotos (ut & hodie Anglos) juxta Iſlandiam piſcari ſolitos, nonnunquam, ut fit, in terram deſcendiſſe, atq; ita Chriſtianæ religionis utenſilia, nolas, cruces, caſu reliquiſſe. Etenim Irlandi jam tum Chriſtianiſmo, ut loquun-

tur, imbuti erant. Eoſdem autem, quicunque fuerint, veteres Iſlandi *Papa* vel *Papas* appellarant. A quibus, ut mihi quidem veriſimile fit, inſula Orientalis Iſlandiæ *Papey* nomen traxerat; quod hanc ſæpius attingere ſoliti ſunt; vel eorum monumenta, qualia dixi, illic potiſſimum reperta fuerint. Eſt etiam hoc latus Iſlandiæ, ex Anglia, Irlandia & Scotia verſus Corum navigantibus maxime expoſitum. Porro quinam & unde iſti *Papa* vel *Pappa* fuerint, non ſatis dicere habeo: niſi forſan ex Scotiæ inſulis: quarum una *Pappa*, altera *Weſtrapappa*, nomen habent: ut in mappis cernere eſt. Cui conjecturæ quantum quis volet tribuat. *Ingulfi* porro veſtigia plurimi Norvvegorum poſtea audacter ſecuti, cum conjugibus & liberis, magniſque cognatorum, agnatorum, affiniumq; & amicorum agminibus, in Iſlandiam concedentes, in libertatem ſeſe vendicabant. Qui ſic occupatæ jam Iſlandiæ partes habitabiles 60 annorum ſpacio ſua multitudine repleverunt.

CAP. III.

De lingua gentis.

DE lingua Iſlandorum res ipſa loquitur, eſſe *Norvvegicam*: veterem inquam illam & genuinam; nam veteri

Got-

Gothicaque integra ſoli nunc utuntur Iſlandi: eamque propterea *Iſlandicam* nuncupamus. De cujus linguę literis primum pauca dicā: Poſtea erit de ejuſdem origine brevis diſcurſus, capite ſequenti.

Et literas quidem ea lingua duplices habuiſſe videtur: veteres ſcilicet & novas. Novæ ſunt, quibus hodie vulgo utimur; toti fere Europæ nobiſcum communes. Quæ quando primum in uſu eſſe cœperint, non ſatis conſtat. Certe adhuc Cippi, veteribus literis inſcripti, apud noſtrates, aliquot viſuntur, quas literas etiam plurimi adhuc norūt, leguntque & ſcribunt: Continenturque iiſdem hæc ipſa lingua vernacula, nihil immutata. Veterum autem characterum nomen & figuram, qui volet, in ipſo Arngrimo inveniet.

In vocalibus & diphthongis, ut & abbreviaturis huic linguæ propriis, longe major eſt varietas: quam ne attingere quidem volui. Deinde etiam literarum, ut reliquæ Etymologiæ ac Syntaxeos hujus linguæ, juſta tractatio, peculiaris operis copioſa foret materia (præſertim ſi quis poëticem adjungeret) linguæ Islandicæ Grammaticam ſcripturis: ad quod nihilo fuerit difficilius quam quod de Germanica & Gallica lingua præter alias factitatum vidimus.

Circa

Circa annum Domini 1216 ſcripſit quidam noſtratium de literis linguæ vernaculæ, ſermone patrio: ubi veteres iſtos characteres huic linguæ proprios affirmat: utroſq;, tam veteres quam novos, legitima tractatione perſequitur per ſuas definitiones & diviſiones literarum in vocales & conſonantes, facitque ex quinque vocalibus latinis, octodecim ſuæ linguæ, ſono & pronunciatione diſtinctas: conſonantes naturaliter dividit in ſemivocales & mutas: & illas in liquidas & firmas: has in apertas vel clauſas: mediocrem ſcilicet Logicum agens: inque literarum valore & pronunciatione tradenda, omnia vocis formandæ inſtrumenta, tam pulmonem & guttur, quam oris & linguæ auxiliares partes, ad cujuſque definitionem artificioſe aſſumit. Literam *þ* etiam *the* appellat: forſan ad imitationē Theta Græcorum (quam propemodum, ut diximus, licet non omnino, exprimit) vel Tau Hebræorum: Quam Hebræam ſi *th* vel *t* Latinorum rite exprimunt, ut traditum à quibuſdam eſt; nihilo propius Thau quam Theta ad noſtrum *þ* acceſſerit. Idem ille noſtras, abſolutis literis, ad figuras dictionis & ſententiæ vernaculo idiomate tradendas & exemplis noſtræ linguæ illuſtrandas ſe

confert; retentis Græcis figurarum titulis ſeu nominibus, Epizeuxis, Anadiploſis, &c.

Ab hoc vero ſcriptore noſtrate veteris alphabeti typos accepimus: ubi ſi quis nonnihil variet, cum eo non contendo: nec enim multorum exemplarium copia facta. Vidimus autem monumentum Gormonis Regis Daniæ, his characteribus antiquis inſcriptum, typis Hamburgenſium editum anno 1591, addita interpretatione per characteres Latinos. quibus typis non per omnia nobiſcum convenit: quod tamen non moror. Has autem literas non ad Norvvegiam aſtringo, aut Iſlandiam: ſed ad linguam; quæ nunc Norvvegica nunc Danica dicta eſt: ſeu ipſam antiquam Gothicam; qua etiam id temporis uſum credo totum orbem Arctoum & populos vicinos; itemque Angliam, Scotiam, Irlandiam; nam de Anglia diſerte ſcriptum habemus, eam lingua Norvvegica ad VVilhelmi Nothi tempora uſam. *hiſtor. Gunnlaug. Ormſt.*

Cæterum quamvis hæc lingua olim tot populis una & communis fuerit; à noſtris tamen, Danici nominis ſemper ſtudioſis, ſynecdochice Danica fuit appellata (ut etiam eadem Norvvegica, *Norræna.*)

In

In Dania autem & vicinis terris tanto citius mutationi obnoxia facta eſt, quanto quæque gens exterorum commercia frequentiora admiſit. Norvvegica vero eadem idcirco dicta, quod in Norvvegia diutiſſime incorrupta manſerit: cum jam in vicinis terris cœpiſſet mutari: ut & hodie eadem merito Iſlandica vocatur, quod ea integra ſoli utantur Iſlandi. Norvvegis enim modernis (reliqui de ſe viderint) peregrinorum commercia linguam nôn adulterarunt ſolum, ſed ademerunt: Quemadmodū de Italia & Græcia magni nominis autores ſtatuunt: quæ Latini Græcique ſermonis puritatem tenuerint, totoque terrarum orbe diſſeminaverint: poſtea vero quam Scythæ & Gothi utramque invaſerint, tanta mutatio ſit conſecuta, ut nec Latium nec Athenæ, ubi nunc ſunt, unquam extitiſſe videantur: Sic Parthos, Perſicum; Arabes, Punicum: Turcas, Tartaros, Sclavos, Græcum; Latinos, Gallicum & Hiſpanicum idioma mutaſſe præter alios etiam Iohannes Bodinus affirmat: Meth. hiſt.

Porro ea lingua, olim Danica & Norvvegica dicta, ſolos Iſlandos uti integra dicebam: ſi primam & fatalé ſeu neceſſariam illam mutationis linguarum cauſam excipias. quæ eſt, ut idem Bodinus ait,

ait, in ipſo decurſu temporum: quibus non modo linguæ, ſed etiam res omnes mutantur, ac tota rerum natura ſeneſcit. annotavitque ex Polybio. anno minus quinquageſimo, quàm ictum fuerit fœdus inter Pœnos & Romanos, verba fœderis vix intelligi potuiſſe: carmina vero quæ in ſacris ex veteri formula canebantur, à pauciſſimis intellecta. Sic videmus, paulatim omnium populorũ linguas aliter atque aliter mutari, ait Bodinus. Id quod etiam noſtræ linguæ ex parte aliqua accidere poſſe, non imus inficias: Sed nequaquam tanto diſcrimine aut tam paucorum annorum intervallo. Ad cujus puritatem retinendam, potiſſimum duo ſunt ſubſidia. Vnum in libris manuſcriptis, veteris puritatis ac elegantiæ refertiſſimis. Alterum in commerciorum extraneorum paucitate. Vellem his tertium à modernis noſtratibus adjungi: ne ſcilicet ſcribentes aut loquentes vernacule, Danizarent aut Germanizarent: ſed ad linguæ patriæ, per ſe ſatis copioſæ & elegantis, copiam & elegantiam anniterentur, eamque ſapienter & docte affectarent: minus profecto in poſterum mutationis periculum metuendum foret. Alioqui ad corrumpendam linguam non opus erit exterorum commerciis.

CAP. IV.

CAP. IV.

Ex quæſita origine linguæ Norvvegicæ occaſio ſumitur diſcurſus de primis Arctoi orbis incolis: & an ad hos linguæ Norvvegicæ origo referenda.

LInguæ vero Norvvegicæ originem (de qua jam obiter aliquid diximus) nemo, quod ſciam, hactenus ſatis expedivit; nec forſan in proclivi eſt. Idque ideo quia de gentium migrationibus & populorum Arctoi hujus orbis origine pauci ſibi aut aliis ſatisfecerunt: multi autem ad hunc ſcopulum navem impegerunt. Taciti, Sabellici & Sipontini & horum autoritatem ſecutorum, naufragium hic videmus: Qui cum Germanorum originem non invenirent, autochtonas ſtatuerunt. Annon etiam Angliæ quidam hiſtoricus, de ſuæ gentis origine ſollicitus, prudens alioqui & circumſpectus, in hoc freto natat? Vnde vix ſperare audeam me enatare poſſe, niſi rectæ rationis trabe vel antenna correpta, & ſaniorum ſcriptorum ſuffragiis, ceu tabulis collectis, ſubnixum, quibus in portum deferar.

Quare licet quæſtionem tam intricatam, de primis nempe orbis Arctoi incolis, tenuitatis meæ mihi conſcius, merito defugerem; tamen cum linguæ Norvve-

Norvvegicæ vel Islandicæ origo huc me vel invitum rapiat, veniam audacia merebitur.

Vt igitur ad rem veniamus: unicam gentium, nempe Aſiaticarum, immigrationem, in orbem Arctoum factam, noſtræ antiquitates commemorant: Sed eam tamen non primam: verum circa annum tandem XXIV ante natum Chriſtum: Romanis exercitibus, auſpiciis Pompei Magni, in Aſiæ parte, Phrygia minore, graſſantibus: illa enim epocha ad hanc rem noſtri Chronologi utuntur. Alias, inquam, gentium infuſiones monumenta noſtræ antiquitatis non exprimunt: Interim tamen multos Arctoi orbis populos, & incolas, hac Aſiaticorum infuſione longe antiquiores, ſuggerunt. Extant enim hiſtorica fragmenta de *Noro*, *Norvvegiæ* ἐπωνύμῳ & regni conditore: deque iis, quos hic, antequam Monarchia potiretur, expugnavit, Toparchis ſeu Regulis.

Præterea de *Nori* majoribus aliquot: inter quos pater *Porre* (quem *Thorronem*) *Gotlandiæ*, *Finlandiæ*, *Kuenlandiæ* Rex: ſui ſeculi eximius princeps. A quo menſis veterum Norvvegorum & nunc Iſlandorum nomen habet *Thorre*, qui in Kalendario Iuliano incipit 10, 11, 12, 13, 14, 15, vel 16 Ianuarii: Habet

enim

enim initium mobile pro Calendarii illorum ratione. Hoc enim menſe cum Rex Thorro diis ſuis vitula facere conſueviſſet; Kuenones eidem defuncto, ut Deo cuidam, pro felici anno, quem à Bruma inchoabant, veterum Lacedæmoniorum more, ſacra annua dicto menſe inſtituebant: eundemq; menſem, à *Thorrone*, *Thorre* nuncupabant. non ſecus ac Lacedæmonii defuncto Lycurgo divinos honores tribuerunt; extructo in ejus memoriam delubro, ubi pro Deo colebatur: cui inſuper familiares anniverſaria & conventū inſtituebant, qui longo tempore permanſit; dieſque quibus convētus celebrabatur, Lycurgidas dicebant: de quā re vide Cragium lib.3 de Repub. Lacedæmon.

Ex *Nori* quoque majoribus commemorantur omnes ad avum uſque, qui fuerit *Ferniotus*, Rex Finlandiæ: Adhæc *Fernioti* trium filiorum unus, ac proinde *Nori* patruus maximus, *Logie*; quod flammam ſonat: qui ab excellentia formæ dictus eſt *Halogie*, id eſt, excelſa vel excellens flamma. Is provinciȩ *Halogienſis*, *Nidroſienſi* conterminæ, eponymus fuit.

Extat quoque de *Nori* ſorore *Goe Thorronis* filia: ad quam raptu ſublatam furtivo recuperandam (ut ab Agenore patre

patre Cadmus filius ad Europam filiam quærendam) *Norus* à patre *Thorrone* miſſus eſt: quod ut felicius ſuccederet, nova Diis ſacra *Thorro* inſtituit, menſe priorem illum (*Thorram* poſtea dictum) proxime ſecuto; eundemque menſem à filiæ *Goes* nomine *Goam* inſignivit: quod menſis nomen ſimiliter moderni retinent Iſlandi. Meminerunt prætereа veteres hiſtoriæ *Gori*, qui *Noro* frater germanus fuerit: ut adhæc *Gori* nepotis, *Gylvi* nomine, in Suecia rerum potientis: in cujus tempora incidit *Odinus*, (aliis *Othinus*) Aſiaticæ immigrationis, factæ anno 24 ante natum Chriſtum, quam modo commemoravimus, anteſignanus: *Gylvus* autem patrem *Geiterum* habuit, & *Beiterum* patruum, *Gori* filios. A *Geitero*, portus prope Nidroſiam urbem *Geitſtod*.

Hæc, inquam, prȩter alia multa, habitatorũ Arctoi orbis Odiniaria immigratione longe antiquiorum manifeſta ſunt veſtigia: de quorum tamen origine verbum nullum. Quia vero αὐτόχθονας aſtruere, ut de ſuis majoribus fecerunt tum alii, tum vero inprimis Græci, (majori tamen cum venia, quam reliqui Europæi: quippe qui ſecundum Chaldæos, Ægyptios, Hebræos, præ reliquis populis gloriari de antiquitate merito

 poſſint)

poſſint) ab homine Chriſtiano, librõrum Moſis de originibus conſcio, alieniſſimum eſt; ſatius profectò eſſet majorum originem ignotam fateri, quam τῶν γηγενῶν opinione & errore duci: ne ſcilicet quid tale audiremus, quod olim quidam Græcis, ob ſuos αὐτόχθονας tam gloriabundis, acute exprobravit: Moſen nempe, Legiſlatorem Hæbræorum, antiquiorem eſſe Diis Græcorum.

Interim, quia ex ſola ignorantiæ aut dubitationis confeſſione ſerius emergit veritas; aliquid in medium adferendum eſt ad quæſtionem propoſitam: ut ſcilicet habeat hoc loco Lector πολυίστωρ quod vel confutet, vel confirmet. Igitur quinam & unde primi orbis Arctoi incolæ fuerint: tum quando orbẽ hunc noſtrum incolere cœperint; probabilibus rationibus inquirendum: ut hinc de linguæ origine aliqua conjectura exurgat. Vt autem hic ſine ambagibus me expediam; cenſeo, primos Arctoi orbis incolas ex gigantum fuiſſe numero, imo meros gigantes; homines monticolas, immani, interdumque monſtroſo corpore, monſtroſiſque viribus; eoſque Canançorum poſteros & reliquias, ex agro Palæſtino à Ioſua & Calebo divinis auſpiciis in Palæſtinam moventibus expulſorum, circa annum Mundi 2500: hanc-

que

que orbis plagam ad ea uſque tempora, aut forſan diutius prorſus inhabitatam manſiſſe.

Magnum, fateor, & in hiſce oris novum atque inauditum paradoxon; non uno objectionum ariete oppugnandum: Eorum primo, qui gigantes aut unquã, aut certe poſt diluvium, aut poſt certum aliud aliquod tempus extitiſſe negabunt; conanturque omnia, quæ non ſolum in prophanis, ſed etiam ſacris literis, de gigantibus leguntur, nunc figmentorum poëticorum nomine, nunc per allegorias phyſicas, interdum etiam morales, eludere: Deinde eorum, qui quamvis extitiſſe gigantes fateantur; eoſdem tamen hunc orbem noſtrum primos incoluiſſe, non protinus largientur.

Primi generis ſunt, quibus cum D. Auguſtino res fuit (*de civitate Dei, lib.* 15, *cap.* 9) & eoſdem ſecuti, qui homines giganteæ ſeu prodigioſæ ſtaturæ unquam extitiſſe, obſtinatè negabant. Quos non ſolum Auguſtinus ibidem nervoſe coarguit: ſed ipſæ etiam ſacræ literæ manifeſte refellunt. Primum quidem ſimplici & hiſtorica aſſertione: Gen. 6: *Erant gigantes ſuper terram.* Baruc. 3: *Ibi ſunt gigantes à ſeculo.* Secundo variis eorundem appellationibus

ſeu notationibus, quæ in ſacra lingua (ſi qua alia) à re ipſa præcipue peti ſolent. quas hic idcirco, argumenti loco, ex interpretibus recenſere viſum eſt. Nam & inter alia nomina dicti *Emim*, ob terrorem, quem aliis aſpectu ſuo incutiebant. Quare etiam Latinus vates ſuum Polyphemum *horrendum* appellat: *Monſtrum horrendum, informe, ingens.* Dicti quoque *Zamzumim*, à ſcelere: quod freti potentia & ſcelere, contemptores fuerint juſti & honeſti. Ad hæc *Raphaim* appellati: quod illorum occurſu homines quodammodo exanimarentur: Nam & vox illa interdum *mortem* denotat. Denique *Nephilim* vocantur, quaſi dicas *oppreſſores*, quod tyrannice in homines irruerent. Hæc ex interpretibus. Tertia ratio, ex ſacris petita eſt à gigantum accurata deſcriptione: utpote corporis ſtatura, viribus, armis, & aliis adjunctis: tum etiam à ſubjecto loco; ut dicetur. Exploratores terræ Canaan, ad incolas Enaquinos ſeu filios, Enakim comparati, locuſtis ſimiles viſi ſunt: *Num.* 13. Goliathis magnitudo ſex cubitorum & palmi: lorica 5000 ſiclorum ponderis, lancea inſtar jugi textorii: mucro ſeu cuſpis haſtæ 600 ſiclorum: 1 *Sam.* 17. Ogus gigas, rex Baſan, lectum habuit ferreum, lon-
gum

gum 9 cubitos, latum 4: *Deut.* 3. Tres adhæc gigantes à Davide & ſuis fuſi ſunt, prœliis diverſis: quorum unus monſtroſus, in manibus & pedibus ſenos digitos habens: (hi traduntur Goliatho, à Davide fundæ jactu proſtrato fratres germani fuiſſe.) 1. *Paralip.* 10. 2. *Sam.* 21. Qui plura de illorum temporum gigantibus (ante vel poſt diluvium) ſcire volet, libros Numerorum, Deuteronomii, Ioſuæ, Iudicum, Samuëlis, Paralipomenon, & alios, conſulat. Non poteſt igitur dubium eſſe, quin priſco ſeculo vere extiterint gigantes. Et, ne quis roget, ubi? ſacræ literæ iis non ſolum urbes, ſed etiam terram aſſignant. Cariatarba, vel civitas Arbæ, patris Enaki, vel principis gigantum fortiſſimi. Hæc recentiore appellatione Hebron dicta eſt: *Iudic.* 1. Meminit etiam Beroſus Chaldæus, prope Libanum fuiſſe Enochum, urbem maximam gigantum. Terra porro Ammonitarum terra gigantum dicta eſt: *Deut.* 2.

Ad prophanos ſcriptores tranſeo: qui etiam de poſterioribus tẽporibus teſtes mihi locupletes. Apud hos de Oreſte legitur: cujus corpus, oraculi juſſu effoſſum, 7 cubitorũ fuerit. Monſtroſum eſt, quod ſcribit Philoſtratus in ſuis Heroicis, viſum gigantis cadaver 30 cubitorum:

alterum 22 cubitorum: & aliud quoddam 12 cubitorum. Quibus adde Plinium, qui cadaveris 42 cubitorum meminit, (vel potius, ut alii legunt, 16 cubitorum) in monte quodam Cretæ, terræ motu diſrupto, reperti: Quod alii Orionis, alii Othi fuiſſe crediderunt. *Natur. hiſtor. libr.7, cap 16.*

Quod ſi his fidem quis abrogare velit; animadvertat, quæſo, mutabilem hunc naturæ morem; *ut quo magis ſeculi curſus præterierit,* (ejuſdem Plinii verba ſunt) *hoc minora corpora producat Natura;* Ac proinde diverſa erit noſtri ſeculi cubitus totiuſque corporis ſtaturæ ratio, ad eam comparata, quæ iſto tempore & ſeculo fuit. Sin autem communis hominum ſtatura iſtorum temporũ, noſtram, quæ hodie cernitur, longo intervallo relinquit; quanto magis gigãtea illa magnitudo,& naturæ velut anomalia, etiam ſuo ſeculo monſtroſa & mira, fidem noſtram ſuperabit? quæ tamen idcirco non protinus ficta & falſa. Cenſeo igitur, Orionis, aut alterius cujusvis gigantis cadaver, poſt multa ſecula 20 aut 30 cubitorum deprehenſum, ſui ſeculi, in quo illi vixerunt, non tot cubitus habuiſſe. Contraque Goliathis cadaver, ſi poſt aliquot annorum centurias viſum eſſet, plures quam

quam 6 cubitos longum viſendum fuiſſe.

Hunc naturæ morem, hunc curſum, hanc diminutionem, &, ut ita loquar, decreſcentiam, omnes cordati agnoſcunt; non in humano ſolum, ſed etiam reliquo animantum genere: ita ut, atteſtante ipſa rerum experientia, non dubitem Plinii locum ad reliqua viventia extendere. Sed quia de hominibus tantum nobis ſermo eſt, ejuſdem experientiæ naturalis exemplum afferam ex 12 Æneidos, quantum nempe à Turni & Æneæ temporibus ad Virgilii ætatem, id eſt, annorum circiter 1205 ſpacio, naturæ humanæ modo & menſuræ deceſſerit. Loquitur enim Poëta de ſaxo, à Turno in Æneam vibrato.

Ille caput quaſſans, ſaxum circumſpicit ingens; *(forte jacebat*
Saxum antiquum, ingens: campo qui
Limes agro poſitus, litem ut diſcerneret arvis:
Vix illud lecti bis ſex cervice ſubirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus: *(in hoſtem.*
Ille manu raptum trepida torquebat

Id diſcrimẽ & degradationẽ Naturę in diverſis ætatibus, 1. Georgic. idem vates innuit: *Grandiaque* (prioris ætatis *(effoſsis mirabitur)* poſterior ætas) *oſſa ſepulchris.*

Dabi-

Dabitur hujus rei recentius exemplum ex D. Auguſtino, *de civitate Dei, lib.* 15. *cap.* 9. qui ſe in littore Vticenſi vidiſſe ait dentem molarem, adeo magnum, ut ad formam & modum dentium noſtræ ętatis fuerit centuplus. Addam & illud ex Apocryphis Eſdræ: Et nunc minora eſſe hominum corpora (quã olim,) & deinceps etiam minuenda: propterea quod natura ſemper effœta reddatur: quæ Plinii verba paululum immutata fuerunt. In quam etiam ſententiam D. Cyprianũ ſcripſiſſe tradunt, adverſus Demetrianum. Id quod de toto genere intelligendum eſt; non de uno aut altero exemplo, quod in utravis ętate forſan cõtrarium referri poſſit. Quod ſi cui iſta ex Poëtis aut prophanis autoribus nimis hyperbolica videantur: cum eo nolim præciſe contendere: dummodo id obtineam, majorem ſpeciem veri omnibus vel pleriſque ſubeſſe.

Vrgent porro quidam, ſi diis placet, ſatis phyſice, gigantes non potuiſſe exiſtere, niſi etiam primum & ſecundum hominem (Adamum & Noachum intelligo) cum filiis gigantes fuiſſe largiamur: Eo quod, inquiunt, ſimile generatur à ſimili. Quin ad illud etiam Beroſi autoritate uti dicuntur. Quamvis autem hic non deſcendo in diſputationem de

pro-

progenitoribus gigantum: quod ea hujus loci non ſit; dummodo extitiſſe conſtet: tamen hic Auguſtini reſponſum experientia comprobatum referre non pigebit: Romę videlicet, paulo ante Gothicam everſionem, fuiſſe mulierem giganteæ molis: ad quam viſendam ex diverſis orbis partibus plurimi confluxerint; quæ tamen parentes habuerit communem uſitatamque hominum ſtaturam nequaquam excedentes. Et ſane, cur magis mirum, ex communis ſtaturæ parentibus naſci gigantes, quam pumiliones? Qualem in deliciis Iuliæ, Auguſti neptis, fuiſſe quendam longum duos pedes & palmum, Conopam nomine, Plinius autor. Et quoſdam binum cubitorum fuiſſe refert M. Varro: & ſe in loculis aſſervatos vidiſſe, Plinius teſtatur. Cujuſmodi etiam unum, cubiti menſuram non excedentem, in pſittaci cavea clauſum, perfectæ ætatis virum, vidiſſe ſe Cardanus profitetur, *de ſubtil. lib.* 11. Ad axioma vero phyſicum quod attinet; videntur gigantes non tam qualitate quam quantitate à reliquo hominum genere differre: id quod ipſe ſenſus communis dictat. Ideoque ſi qui aliter ſtatuerint, cum iis, ut cum ſenſus communis expertibus, non contendendum exiſtimamus.

Quod ad Beroſi autoritatem, fide alioqui digniſſimi ſcriptoris: (niſi ſuppoſititius Beroſus eſt ille Annii:) ſi ipſe Adamum & Noachum, cum liberis, gigantes fuiſſe tradit: cum id ſacris literis adverſari videatur, recipere non poſſumus. Nam ſi Adamus gigas fuiſſet; non eſſet in poſteris quibuſdam ut novũ annotatũ: *Et erant gigantes ſuper terram.* ſimiliterque de gigantibus Noachi tempora ſecutis. Neq; iſta movẽt, quin gigantes vere extitiſſe dicamus, quamvis id de neutro generis noſtri parẽte largiamur.

Hoc porro quidam inſtant, ex loco *Joſuæ* 14, Adamum fuiſſe gigantem contendentes. *Adam maximus inter Enachim ibi* (in Hebro) *ſitus eſt.* Sed hic ex plurimis circumſtantiis neceſſario manifeſtum eſt, nomen *Adam* appellative vertendum fuiſſe. Id quod recentior verſio habet: *Nomen Hebron antea fuit Cariath Arba* (civitas Arbæ:) *qui Arba homo magnus inter Enachim fuit.* Nec hoc Lutheri ſpiritum fefellit. Vide ipſius verſionẽ Germanicam. Quod ſi Septuaginta legas, nihil hic de primo Adamo concluſeris: Τὸ δὲ ὄνομα Χεβρὼν, τὸ πρότερον πόλις Ἀρβεϊ. μητρόπολις τῶν Ἐνακὶμ αὕτη.

Sed & eos ad problematis noſtri fundamen-

damentum confingendũ paratos video: qui quamvis ante & poſt diluvium fuiſſe gigantes concedant, negant tamen poſt certa tempora. nempe, poſt Ogum, Regem Baſan, nullos fuiſſe in terrarum orbe reliquos gigantes, contendunt: eo quod in Deuter. legatur, cap. 3: *Solus quippe Og, rex Baſan, remanſerat, vel reliquus erat, de ſtirpe gigantum.* Ideoque quod de poſteriorum temporum gigantibus affertur, conſtanter negare audẽt. Nos vero illis aſſentimur, qui negãt, verba iſta textus abſolute & ſimpliciter intelligenda eſſe: ſed per ſynecdochen: *Solus Og reliquus erat de ſtirpe gigantum;* ſcilicet in illis locis, circa Iordanem; aut forſan, ſolus Regum, ſtirpe gigantea ſatorum, in iſtis locis. Interim ex vulgo poterant aliqui reliqui fuiſſe. Deinde Ogum Moſes devicit, anno mundi 2492, ex ſupputatione doctiſſimi Chytræi: mortuuſque eſt anno ſequente. At poſt mortem Ioſuæ, anno mundi 2511, pugnante in ducatu Hebræorum Iuda, Ioſuæ ſucceſſore, hoſtes ingenti ſtatura oppreſſi ſunt, ad urbem Hebron; ait Sabellicus. Et atteſtatur ſacra hiſtoria, *Iudic.* 1, percuſſiſſe Iudam Haimam, Seſai, Tholomai; qui *Num.* 13 appellantur filii Enachim; ideoque de ſtirpe gigantum fuerunt; & nihilominus Ogo rege tempore

pore poſteriores. Quin etiam, ut Iſraëlitæ ſuis, ita etiam Madianitæ ſuis finibus, gigantes expulerunt. Tum quoq; Goliates, cum tribus fratribus, quanto intervallo Ogum gigantem ſecuti ſint, non poteſt niſi temporũ & hiſtoriarum ignaro non liquere. Adhæc, ſi Hieronymi verſione ſtandũ eſſet, facilis foret reſponſio: Vertit, autem, *reſtitit*; quod alii, *remanſit*. Si *reſtitit* vertendum; ſolum Ogum reſtitiſſe, id eſt, rebellaſſe, & non fugiſſe intelligere poſſemus. Sed quia Septuaginta κατελείφθη verterunt: ego Hieronymi textum argumenti loco non aſſumam.

Quin potius de gigantibus recentiore memoria exiſtentibus etiam iſta ſuperioribus addam. Primũ de Gabbara, (Arabs fuit) Claudii Cæſaris ætate, id eſt, circa annum Chriſti 43, Plinius tradit, fuiſſe novem pedum & totidem unciarum, id eſt, ſeptem brachiorum ligneorum, cum quarta & ſedecima, ait Cardanus. Fuere item (ait Plinius(ſub D. Auguſto, ſemipede addito, ſcilicet ad Gabbaræ ſtaturam, id eſt, qui Gabbaram ſemipede excederent;) quorum corpora, ejus miraculi gratia, in conditorio Salnuſtranorũ aſſervabantur hortorum. Puſioni & Secundillæ erant nomina Ajacis Telamonii magnitudinem, ex Pauſaniæ teſtimonio, majorem adhuc fuiſſe, Carda-

nus ratiocinatur, *lib.* 11. *Subtil.* Hylli vero oſſa, qui Herculi contemporaneus, Adriani tempore detecta, id eſt, circa annum Chriſti 118, non hominis viſa eſſe teſtatur, ſed beluæ. Sed impoſuitne huic dubitationi finem gigantum inſula, in novo orbe, quem vocant, reperta? Manifeſtum itaque ex his evadit, etiam poſt Ogi tempora extitiſſe in orbe terrarum gigantes.

Cur autem permiſerit Deus gigantes naſci, quamvis ad noſtrum thema vix attinet dicere: tamen quia curioſus objectator (ut ſic loquar) quærere poſſit, cauſam ex Auguſtino primum reddemus: *libro ſuperius citato, cap.* 23. præſertim quia etiam hinc concluditur, vere extitiſſe gigantes. *Voluit autem Deus exiſtere gigantes,* inquit Auguſtinus, *ut teſtatum relinqueretur, tam pulchritudinem corporum, quam ſtaturæ magnitudinem, vireſque carnis, non eſſe in bonis præcipuis habenda; cum non minus impiis quam piis contingant. Gigantes enim immani ſtatura nihil ad ſalutem adjutos, probatur ex libri Baruc 3. capite: Ibi ſunt gigantes à ſeculo, viri famoſi, bellorum periti: Non hos elegit Dominus, neque illis viam ſcientiæ dedit: ſed interierunt, quia non habuerunt ſapientiam.* Alteram cauſam ſpecialio-

ſpecialiorem aſſignat liber Iudicum, c. 2: Quare ſcilicet Dominus non à ſtirpe exciderit iſtos Eccleſiæ Dei hoſtes: Ego, inquit Deus, non delebo gentes (Cananæas) quas dimiſit Ioſua; ut in ipſis experiar Iſraelem. Et cap. 3: Hæ ſunt generationes quas reliquas fecit Dominus; ut in eis erudiret Iſraelem & omnes qui non noverunt bella Cananæorũ: quinq; ſatrapas Philiſtæorum, omnemque Cananæum, &c. Ex quibus gigantes poſteriorum temporum productos aſſerimus.

Cum itaque ex dictis conſtet; extitiſſe ſine dubio priſcis temporibus gigantes: ad alteram quæſtionis partem me confero: An hi noſtras etiam oras primi, & quo ingreſſu, incoluerint? Ajo ſane, primos Arctoi orbis incolas fuiſſe gigantes: cujuſmodi à rebus geſtis arguuntur. Ita enim Saxo Grammaticus in præfatione ſuæ Daniæ argumentatur: *Danicam vero regionem,* inquit, *giganteo quondam cultu exercitam, eximiæ magnitudinis ſaxa, veterum buſtis ac ſpecubus affixa, teſtantur. Quod ſi quis vi monſtroſa patratum ambigat; quorundam montium excelſa ſuſpiciat, dicatque, ſi callet, quis eorum verticibus cautes tantæ granditatis invexerit? Inopinabile namque quivis miraculi hujus æſtimator advertet; ut molem, ſuper plano minime aut difficile*

mobi-

mobilem, in tantum montanæ ſublimitatis apicem ſimplex mortalitatis labor aut uſitatus humani roboris conatus extulerit. Hæc Saxo: qui nobis de Daniæ. hoc eſt, patriæ ſuæ primis incolis, ſufficiens autor fuerit. Sic de Norvvegia & Suecia & terris vicinis, ut quidque antiquiſſimũ, ita giganteam indolem & naturam maxime refert: cujus rei exempla ex hiſtoriis peti debent, hic tædioſa futura. Nam ut antiqua omittam: illa nota ſunt, recenti memoria geſta. De *Doffrone* gigante, montis Norvvegiæ *Doffræfiall* incola, Haraldi Pulcricomi Norvvegiæ Regis nutritio. De *Dumbone* item Doffronis ſynchrono: à quo ſinus Boddicus vel Bothnicus, olim *Dumbshaff*, dictus eſt: qui naumachia ſolus cum 18 gigantibus confligens, prius ex iis 12 orco tradidit quam ipſe occumberet. De triginta ſimul gigantibus, à Dumbonis relictis filiis incendio deletis, ad patris necem vindicandam. Recentius adhuc eſt de gigantibus aliquot Norvvegiæ, auſpiciis *Olai Thryggonis* Norvvegiæ Regis deletis. circa annum Chriſti 995. Recentiſſimum vero, anno 1338, *Magno Erici filio* Norvvegiæ Rege, gigantem 15 cubitorum à quatuor viris occiſum eſſe: ut in annalibus reperitur. Adde, quod provincia quædam, Norvvegiæ ſeu Finnmarchiæ

chiæ contermina, *Riſaland*, id eſt, gigantum terra (nam *en Riſe* & *Reſe* gigantem ſignificat) antiquitus dicta eſt: à qua non longe abeſt *Iotum heimar*, id eſt, gigantum habitatio. (unde etiamnum *en Iæt* gigas dicitur.) ut nihil hic dicam de *Iotumland*: quo nomine noſtratibus dicebatur olim, quæ hodie vocatur *Iytland*; & compluribus etiam *Cimbrorum* terra ſeu Cherſoneſus, eo quoque nomine facto à *Kemper*, id eſt, gigantibus pugnantibus. De *Nephilheimar* & *Karnephil* alibi & ab aliis fortaſſe dicendum eſt; ſicut etiam de Gotthis & Gettis (forte quaſi *Iættû*) aliiſque ſimilibus. Quin etiam in Iſlandiam gigantum pervenere reliquiæ: quorum nomina, habitationes, facinora, ſatis nota & ante oculos. Gigantes igitur cum hunc orbem noſtrum primi incoluerint; quæritur, quando aut unde advenerint?

Videre eſt autem, pleroſque ſcriptorum hanc quæſtionem, ut ſcopulum quendam, declinare, aut ad eundē, quod ſuperius dictum, navim allidere. Philippus Melanchthon faculam aliquam hic præferre viſus eſt, dicendo: *Cum primorum hominum ſedes in oriente fuerit, conſentaneum eſt, inde verſus occidentē progreſſos eſſe poſteros, nec natos eſſe in ſcopulis*

pulis noſtri maris, ut quidam inepte fabulantur. De eo autem progreſſu; quando aut qualis; non ſatis aperte Melanchthon. Illud igitur eſt quod quæritur.

Statuo itaque, ante diluvium, immo ad annum uſque mundi 2500, (ut ſupra poſitum eſt,) aut eo diutius, hanc orbis partem inhabitatam incultamque manſiſſe. Ad quam rem magni mihi authores; quos producam. Gilb. Genebrard. Chronol. lib. 1. *Prima ætas*, inquit, (à creatione mundi ad diluvium,) *videtur tranſacta intra mundi mediterranea, nec vero ad fines Aſiæ, Africæ, Europæ perveniſſe.* Bodinus ait, *Moſen univerſi mundi hiſtoriam ſcripſiſſe* (intelligit habitati) *ad annum mundi* 2450. Et iterum Genebrardus: *Vt fuere generis humani primordia in Armenia, Meſopotamia, Chaldæa, Syria: ibique ante diluvium homines duntaxat incoluêre: ita aliæ regiones ipſæ poſt diluvium ſunt primum habitatæ.* Item adhuc Genebrardus: *Ante ter mille annos* (ſcribit autem anno Chriſti 1579) *tota fere Europa vacua erat*, id eſt, circa annũ mundi 2541. id quod de orbe Arctoo maxime, ſi de reliqua Europa, intelligendum. Sed *fere*, dixit: non *penitus*: ut gentium migrationes, poſt annum M. 2500 mox fieri incipientes, non tolleret. Tempus

igitur quo Europa hæc ulterior habitari cœpta ſit, non ad annum mundi 2500 aſtringimus:ſed motum illum,quo gentes (& in his gigantes Chananæi) locis & ſedibus ſuis ejectæ ſunt,& novas etiã in Europa ſedes quærere coactæ,in hunc annum incidiſſe dicimus; ſicut initio à nobis propoſitum eſt. Europam vero etiam hinc ſuos incolas accepiſſe, ex antiquis autor mihi Procopius, ex Cæſarea Palæſtinæ ſcriptor oriundus, Iuſtiniani rerum geſtarum collector, circa annum Dom. 530. Qui ad hoc idem probandum varios hiſtoriæ Phœnicum aſſumit ſcriptores. Verba Procopii hæc ſunt; lib. 4 de bello Vandalico,à D.Chytræo non uno loco citata: ex quibus inter alia meam opinionem colligo. *Hebræi*,inquit Procopius,*poſtquam ex Ægypto reverterunt, atque in Palæſtinæ finibus conſtiterunt, Moſes, qui eos in itinere ducebat, moritur, cui Ieſus Nave filius ſucceſſit; qui & in Palæſtinam populum introduxit, ac virtutem ſupra hominis naturam longe oſtendens,regionem obtinuit;unde gentes evertens,multas civitates facile ſuperavit omnibus inexpugnabilis viſus.Tunc igitur univerſa regio maritima,à Sidone uſq; in Ægypti fines, Phœnicia appellata eſt: quibus unus jam dudum imperitabat: uti omnes teſtantur,*

tur, qui antiquam Phœnicum ſcripſere hiſtoriam. Hic populi numeroſi habitavere: Gergeſæi, Iebuſæi, aliique, habentes nomina in Ebræis voluminibus memorata. Qui cum inexpugnabilem conſpicerent advenarum exercitum, patrios fines deſerentes, in Ægyptum vicinam migrarunt; ibique numero ac ſobole creſcentes, cum non ſatis commodum tantæ multitudini locum inveniſſent, in Africam penetravere: Vbi civitates quamplurimas habitantes, omnem eum tractū uſque ad Herculis columnas tenuerunt, Semiphœnicia lingua & dialecto utentes: oppidumque Tingen, ſitu munitiſſimum, in Numidia ædificarunt: ubi duæ ex lapide albo columnæ, prope magnum fontem conſtitutæ; in quibus Phœnicum lingua literæ inciſæ ſunt ejuſmodi;

Nos ſumus Cananæi, quos fugavit Ieſus latro.

Ioſua Hebraice ſiquidem Ieſus.

Hæc Procopius. In quam ſententiam etiam Hebræorum hiſtorici à Genebrardo citantur. *Ioſua Cananæos,* inquit, *partim depulit, partim interfecit. Horum reliquiæ traduntur migraſſe in Germaniam, Sclavoniam & regiones vicinas* &c. *In ſeder-Olam,* &c. Item: *Et certè illa ætate, totum Occidentem fuiſſe vacuum; paulatim vero in ejus regiones veniſſe*

niſſe Orientales populos, apparet ex crebris infuſionibus. Hæc Genebrardus. Et Bodinns, Method. hiſt. cap.9. *Cananai, ex agro Palæſtino ab Hebræis ejecti, in Illyricum & Pannoniam migrarunt,* (iis ſcilicet migrationibus, quas ex Procopii loco ſuperius adducto intelligimus;) *ut Rabbi David Kimchi ad finem Abdiæ teſtatur.*

Hinc annotandum cenſui, Cananæos in Africa etiam Auguſtini tempore vixiſſe, & nomen ſuum gentile retinuiſſe: Is enim in *libr. expoſit. in Epiſtol. ad Roman.* ſcribit, Ruſticos Afros, Hipponæ vicinos, ſi interrogarétur, qui eſſent, Punice reſpondiſſe: *Canaani*, &c.

Quare, ut eodem modo concludamus, quo exorſi ſumus, abſque dubio ſtatuimus, Cananæos ſeſe in Europam uſq; effudiſſe, atq; ex ea infuſione ortos noſtros gigantes, noſtri orbis primos incolas: ut jam minus mirum ſit, literam *þ*, Thau Hebræorum correſpondentem, aliaque Hebrææ linguæ veſtigia, ut voces integras, (quas quidem non coacte ex Hebræis fontibus eruunt,) in lingua noſtra veteri relicta eſſe.

Interim tamen non diſſimulandum, etiam alias gentes ſucceſſu temporis in has ſe oras intuliſſe; ut circa annũ mundi 3938, ſeu ante natum Chriſtum 24,

de

de Aſianorum infuſione, Odino duce facta, & ſuperius memorata, conſtat: Qua tamen alia aliqua, ſive Aſiaticarum, ſive aliarum gentium, immigratio, forſan prior fuerit; bellum fortaſſe Trojanum ſecuta; poſt annum mundi 2772. nam, ut eſt in noſtris antiquitatibus, comperit, in Arctoam hanc plagam adveniens Odinus, celebrem vigere apud noſtrates veterum Trojanorum memoriam: quod tamen pro certo affirmare non habeo.

Næ tu, inquies, bellus es diſputator; Cananæorum poſteros faciens Europæos; quos conſentiens antiquitas Iapeti genus & poſteros fecit! Ego vero, quiſquis es, mi Lector, Europæi moderni unde genus duxerint, non quæro, nec dico: Sed, quinam Europam hanc ulteriorem & orbem Arctoum primi incoluerint: nempe gigantes, Cananæorum gentibus oriundi. Eos huc, ut ad loca montoſa & magis horrida, naturæ quodam impulſu delatos cenſemus; ubi corpora robuſtiora gignerentur. Ex qua naturæ inclinatione Græcus vates ſuum Gigantem φηρσὶν ὀρεσκῴοισιν, monticolis vel montanis aſſimulat. Et gigantes, quos noſtræ antiquitates in Arctoa plaga plurimos commemorant, omnes fere monticolæ fuerunt. Iam,

quin etiam humaniores aliquot populi, & ipſis gigantibus numeroſiores, has oras ſubinde intrarint & noſtrũ orbem coloniis impleverint, non negamus: Imo aſſirmavimus modo, de Odino & reliquis Aſiaticis: qui in Suecia ſubſiſtens, ſedes poſuit in *Sigthiur;* ubi civitatis quoddam ſimulachrum formare viſus eſt, ad morem veterum Trojanorum; (quorum nomen celebre vigere comperit, ut diximus:) non ſecus ac olim Cadmus, in Bœotiam veniens: novas Thebas in Ægyptiacarum Thebarum memoriam condidiſſe legitur. Odinus iſte, omnes veteres incolas magię excellentia in ſui admirationem rapiens, poſt fata cœpit in Deorum numero coli: cum prius adhuc ſuperſtes, inter alias terras Septemtrionaliores etiam Norvvegiam, inter Nori poſteros ſublata monarchia diſtributam, ſubegiſſet; eamque filio Sæmingoo ſeu Hemingo addixiſſet. Ab hoc Odino poſteriores Norvvegi, & vicinarum Gentium reges aliquot, genus avebant ducere: (cum tamen etiam ab ipſo Noro ducerent:) utpote ipſe Pulcricomus, poſt Norum & iſtum Hemingum primus, hoc eſt, tertius Monarchiæ Norvvegicæ reſtaurator, ſuam ab Odino uſque Genealogiam per multos retro atavos contexi, & à Rythmiſta ſibi fa-

miliari,

miliati, Theodolpho *Frodo*, carmine vernaculo celebrari curavit. Rythmos iſtos *Inglingatal* vocabant: quod ab Ingone (cujus poſteri *Inglingar*) Odini filio initium ſumerent. Idem fecit *Haquinus* cognomento *Dives*, ſuos majores ab Hemingo illo Odini filio numerans, Evindi Scaldpilleri opera, inſignis Rythmiſtæ; qui Rythmi dicti *haleygiatall*, eo quod ipſius majores Halogienſem provinciam poſſediſſent.

His, & forſan (ut dixi) aliis populis, ante Odinianam immigrationem accedentibus, procedente ſeculo, genus illud gigantum, Deo ſic providente, extinctum ac velut à ſtirpe exciſum tandem eſſe, optimo harum regionum fato, experti ſumus.

Interim ſi qui hodie ſint, qui majores & genus ſuum inde à gigantibus uſque numerent; id quod Genebardus Germanis opprobrio vertit, (Cananæorum propaginem appellans: *lib.* 1. *Chronol.*) odio magis religionis Germanorum, quam imperitia: eoſdem, inquam, ſi qui etiã ſint in his noſtris oris, bono nihilominus eſſe animo jubemus: cumque Apoſtolo meminiſſe; Quod in Chriſto non ſit Iudæus, neque Græcus, neque Barbarus, ſed nova creatura. Vnde Martinus Borrhaus nervoſe in Geneſin: *In*

in Britanniam, & Saxonum in Belgicam, deductis à Carolo Magno coloniis, itemque Gallorum in Saxoniam, Bodinus affirmat: linguarum ſcilicet varietatem peperiſſe: Et Tuſcorum colonias ex Italia pulſas, Gallorumque, qui in Germaniam deſertam migrarunt, tertium loquendi genus ab utriſque diverſum conflaviſſe. Quod igitur literam Hebræam, poteſtate, ſi non figura; quod voces multas Hebræos fontes ſapientes, habeat lingua Norvvegica; id primis incolis debebitur: Quod vero Germani veteres, quod Angli aut aliæ nationes, ſua quædam in eadem lingua agnoſcant: id recentiori populorum infuſioni, ſive uni, de qua conſtat, ſive pluribus, acceptum referatur. Nec enim ſubito, ſed pedetentim, has terras intravit Odinus, in Germania prius & vicinis terris ſubſiſtens. Ex qua mixtione ſi nata eſt lingua Norvvegica; bene antiqua ſit oportet hæc dialectus, reliquorum populorum reſpectu, quibus lingua ſubinde breviſſimis ſpaciis mutata eſt: cum de nulla gētium infuſione poſt Odinum in Norvvegiam conſtet. Sed quicquid tamen ſtatuatur in hac Norvvegica ſeu Iſlandica, veſtigia antiquæ linguæ Gothicæ, forte an Iōticæ, id eſt, giganteæ,

maxime eſſe adhuc reliqua, certiſſimum eſt.

CAP. VI.
De moribus ſeu communi vivendi ratione.

SEd de lingua ex noſtro inſtituto ſatis. Mores & reliquam vivendi rationem requiris? Poſſem uno verbo ex veterum Norvvegorum moribus reſpondere. Sed propius attingam; & quædam de gentium moribus altius repetendo, cum noſtris conferam.

Tota ſane vivendi conſuetudo veterum Iſlandorum ad ſummam videtur frugalitaté comparata: In qua primum habitationes ſeu ædificia; deinde victus & veſtitus ratio; tum reliqua vitæ communis exercitia, breviſſime attingenda:

Nam primum quod ad habitationes attinet; primam & antiquiſſimam habitandi rationem ſecuti ſunt Iſlandi: Nempe non per urbes & oppida; ſed, quod de ſui temporis Germanis ait Tacitus, colebãt diſcreti, ut campus, ut fons, ut nemus, ut collis aut vallis, littus vel ſinus maris placuit: Non ſolum primævi mundi exemplum hic imitati; ſed etiam ætatis poſterioris: Vt Attica per pagos, Laconica initio, ut tradunt, ſparſim,

ſim, hinc illinc habitabatur; non conjunctim, aut per urbes: & ut Taciti tempore, circa annum Chriſti 120, nec cæmentorum nec tegularum apud Germanos uſus; (unde quivis de orbe magis Arctoo judicium faciat:) Ita neque poſtea apud Iſlandos; ſed domus ſuas ligno & ceſpite conſtruebant, opere quidem nec momentaneo, nec in ſpeciem deformi; parietes alias ſolo ceſpite, alias ſaxo rudi, ceſpite pro cæmento adhibito, fiebant: quos poſtea interius, opere coaſſato, ut & contignationem ipſam, conveſtiebant; præcipue in notabilioribus ædificiis. Atque ſic tectum cum parietibus ante maturum ſenium, gramine viridi exterius quotannis enaſcente, (ceſpitem namque vivum in tecto & parietibus intellige,) conſpiciendum erat. In tecto feneſtræ fiebant, raro in pariete; & tecto quidem minus arduo; cujuſmodi fuiſſe fertur apud Orientales tectorum conſtitutio. Ligna incolis ſuppetebant, ad littus maris undarum alluvione ejecta: mirando procurationis divinæ teſtimonio: cum ſylvæ domeſticæ, betullæ tantum, uti exiſtimo, feraces, vaſtis ædificiis non ſufficerent: quæ tamen etiam magno fuere ſubſidio, cum his quæ incolæ, quoties volebant, ex vicina Norvvegia, & fortaſſe etiam Gronlandia,

landia,

quem Crantzius *Rollonem* appellat; qui partem Galliarum, Normanniam poſtea à Normannis ſeu Norvvegis dictam, occupabat. Sunt autem & alia foci & ignis Iſlandorum nutrimenta, ſed minus vulgaria. Quanquam igitur judicarit Plinius miſeras gentes, quæ terram ſuam urerent: nos contra eo nos feliciores ducimus; Deiq; beneficium hic & alibi agnoſcimus, quibus fomes igniarius & cremandi materia non magno conſtet; qua re ad frigoris intemperiem arcendam, præter alios uſus ſatis notos, incolæ ſumme indigebant; præſertim hyemalibus temporibus, quibus hypocauſta & fornaces in uſu, ſaxo & petris congeſtæ, per quas flamma facile erumperet; quæ quamprimum ignis vi penitus eſſent excalfactæ, cumque jam defumaſſet hypocauſtum, frigida camini ſaxis candentibus aſpergebatur; quo pacto calor ſeſe per univerſam domum efficaciter diffundere ſolet; qui ſic etiam pariete & tecto cæſpititio optime cõſervatur. Memini autem, me balnea publica excalfaciendi ſimilem rationem apud extraneos alicubi obſervare. Præter hypocauſta autem, domus alias aliis uſibus deputatas habebant; ut cubile, cænaculum, & alias complures.

Fuitque hæc communis ædificandi

ratio

ratio & modus ad frugalitatem, non oſtentationem & oculorum delicias, comparatus, & neſcio quid cum laudatiſſima Spartanorũ conſuetudine commune habens:quorum inſtitutum refertur, ut domus non niſi ſerra & ſecuri extruerentur. Quod ſi quis tecta & parietes cæſpititios Iſlandis, ut vile quiddam & contemptibile & nihil antiqui referentes, objiciat, aut, ut fieri ſolet, etiam exprobret, is Flavum Vopiſcum legat, de tribunali ſeu ſuggeſto cæſpititio, itemque de centum uno loco aris cæſpititiis Cæſarem. Sin autem foro, immo etiam ſacris, non indigni antiquis viſi cæſpites, neque ſane nos eorundem merito pudere aut debet, aut poteſt. Sed ne videantur Iſlandi mera inopia, aut etiam inſcitia, rudibus ædificiis & paupere tecto uſi: domus quaſdam commemorare poſſum CXXVI pedum longitudine; quaſdam CXXXV; ut ſupra de Ingulſi ædificiis retulimus: quaſdam autem CXX pedum longitudiue, & LX latitudine; de quibus poſtea: quaſdam etiam, quarum laquearia contignatio, & parietum inveſtituræ ligneæ, arte ſculptæ, vetuſtas rerum geſtarum hiſtorias retulerint. Habitationes itaque ſuas, in hunc modum extructas, ſpaciis quibuſdam campi fertilioribus ad culturam

deſti-

deſtinatis includebant: quæ ſpacia deinde, aggere congeſto, ad armenta arcenda, indefeſſo labore cingebant. Paſcua adhęc ſatis vaſta, cuilibet fundô aſſignata ſunt, certis limitibus ſeu clauſuris, de quibus cap.8, alia ab aliis diſtincta. Fundus autē ſeu habitatio quælibet à primis conditoribus nomen plerumque accepit: interdum etiam aliunde, ſicut montes, flumina; ut ſuperius monitum: ut hac ratione primos incolas ἐπωνύμους ipſa loca vel ſolis nominibus apud omnem poſteritatem loquerentur.

Ab ædificiis ad agri & terrę culturam ac victualia procedo: quæ primis incolis aliqua ex parte pene ſucceſſit ad fruges indidem comparandas: ſed neſcio an æque ubique. Interim tamen *Hiorleifus* ille ſuprà commemoratus ſervos agricultura exercuit: & *Gunnerus* quidam de *Lidarenda*, ſementem faciens, ab inimico gena vulneratur: & ſimiliter *Hoſchulldus Huit arnes gode*, faciendo ſemente occupatus, occiditur. Hinc ab agris quorundā locorum nomina propria. Hinc lex de frumento poſt meſſem congerendo, vehendo. (ubi de ſervitutibus, quas prædiales juris conſulti vocant.) Quæ omnia aperta ſunt apud primos Iſlandos agriculturæ veſtigia. Quod etiam in hunc fere diem à nonnullis

nullis Meridionalis Iſlandiæ colonis tẽtatum audio: ſed ſolo & cœlo à prima illa bonitate poſt tot ſæcula minus reſpondentibus cum fœnore: Fortaſſe etiam agricolarum cura minus ſolers in cauſa eſt; poſtquam frumentum adventitium magis in uſu eſſe cœpit.

Et quia agricultura illa ad fruges & farra initio aut non omnibus uſitata, aut minus frugifera viſa eſt; mox peculiaris agri colẽdi ratio nata eſt: qua campos ſeu ſpacia illa, quæ ipſos includere dicebam ſuo ambitu, fimo ſtercorabant, præſertim bubulo, ad fœni præſtantiſſimi ſectionem: quo armenta, ac in primis vaccas, uberioris lactis gratia, commodiſſime paſcerent. Quæ quidem agricultura etiamnum retinetur: & ſolam fere coloni mediterranei magis exercent: cum maritimi ex piſcatione magis vivant; quo etiam remotiores illi ſive mediterranei famulos quotannis piſcatum ablegant. Vtrumque igitur æquor, ſalum dico & ſolum, ad vitę ſubſidia, Iſlandis ſuo quodam modo arandum fuit. Quibus præterea victualium loco abunde ſuppetebant oves, boves, ſues, hœdi: tum piſces varii generis, præter marinos, ex fluminibus, lacubus, ac rivis paſſim obviis; unde tanquam è naſſa quadam petere licuit

præci-

præcipue iſto ſeculo: adhæc lac, & lacticinia, cum butyri ex armentorum grege perquam grata copia: præterea aves magno numero: alias cicures; ut gallinæ & anſeres domeſtici aut alterius generis volucres ſub dio agentes; etiam in montanis locis ſolivagæ quas poſſeſſores in pedibus ſignabant, ut ſuam quilibet facilius repeteret: alias quidem non cicures; quas certis dolis capiebant; ut anſeres & anates pratenſes, perdices, cygni; & marinæ quamplurimæ, quarum nomina nec teneo, nec proprietates. Vtriuſque autem generis aves, cicures & non cicures, aut ova, aut ſeipſas, aut utrumque in hominum uſus exhibebant.

Præter potum nativum ſeu ſerum lactis expreſſum (cujus hic tanto melioris copia, quanto lac præſtantius: adeo ut decunx aquæ cum uncia ſeri miſtus, ſaporem penitus non obtundat; quia ſerum magis quam aquam ſapiat: etiam polentam coquebant, favo mellis aut aqua mulſa interdum adhibitis: Interdum etiam liquore ex baccis quibuſdam hic naſcentibus. Sed & cereales liquores ab exteris importabant veteres Islandi; ut & farra & res alias: ſiquidem propriis navigiis inſtructi erant; quibus pro lubito Daniam, Norvvegiam, Sueciam,

Scotiam, Saxoniam, Anglias & Irlandiam quotannis inviſebant. Itaque luxus & gulæ irritamenta non defuiſſe quidem noſtris Islandis, hinc intelligitur: quibus tamen omnibus aliter uſos, ſatis conſtat; hoc eſt, ex naturæ, non gulæ aut voluptatis præſcripto. Quare quod de ſua menſa dixiſſe Epaminondam ferunt: *Tale prandium non eſſe capax proditionis*: id, vel quid ſimile, de noſtra menſa merito forſan uſurpavero: Gulæ ſcilicet irritamentis carentem (non quod haberi non potuerint; uti jam dictum; ſed quod adhibita non fuerint) invidia (ex qua proditio) quoque caruiſſe; interim ſufficiente victus ſalubris copia nequaquam aſpernandam.

Nihilominus tamen honeſtis conviviis & conſeſſibus minime carebant noſtri veteres: & quidem ſine ſorditie: ſive convivarum numerum, ſive exhibitorum conviviorum tempus ſpectemus. Etenim *Theodorus* & *Thorvaldus* fratres, Borealis Islandiæ cives in *Hiallta dal*, patri ſuo *Hiallta* juſta ſolventes, convivium 1200 capitum exhibuerunt dies integros XIV; potioris notæ viris munere aliquo ornatis. Et Occidentalis Islandiæ incola, *Olaus* cognomento *Pa*, cum fratribus duobus ſumptus fecit 900 virorum conviyantium, etiam

ad diem uſque decimum quartum; viris primoribus non indonatis dimiſſis. Et hæc quidem convivia, (cujuſmodi infra plura commemorantur,) privatis ſumptibus exhibita ſunt, ſine notabili rei familiaris detrimento. Iſta vero victualium tam benigna copia, & ingenium gentis tam liberale & à ſorditie alienum, ſummam in hac natione, ſi qua alia, hoſpitalitatem, etiam in peregrinos, gignebat: quæ, in Islandiæ laudibus non poſtrema, hoc brevi elogio ſit contenta.

Quod ad reliquam victus rationem attinet: illud Plutarchi, ſupra poſitam Lycurgi legem de ædificiis exponentis, convenienter expediet: Comparatum nempe fuiſſe ædificio lectum; lecto veſtem; huic reliquum cultum & ornatum. Luxu ſcilicet & levitate, tum maxime faſtu & ſuperbia, remotis. Cui nihil derogabat, quamvis procedẽte tempore unus aut alter extraneorum veſtitum importabat: Nam vulgo, & de more gentis panno Islandico veſtiebantur: Sin minus; id ut novum quiddam annotarunt hiſtoriæ. Nil itaque veriti ſunt noſtrates levia ingenia, circa cultum corporis & veſtitum ſolicita: ut nec Ageſilaus Lacedæmoniorum Rex Ægyptios, à quibus ob vilem veſtem deriſus

eſt. Interim vero ditiores, panni extranei, & quidem optimi, nunc pallium, nunc tunicam aut togam adjungebant, non indecore; cum id, tempus aut aliæ circūſtantiæ poſtulare viderentur. Nam & carbaſus, & veſtis linea, (ad mulierum pepla in primis) & canabina veſtis, cum reliquis extraneorum mercimoniis, quæ tamen hodierno fuco carebant, importabantur. In quibus emendis & utendis cum ſequens ætas à veteri illa frugalitate degeneraret, lex de præſcripto veſtitu lata eſt; (quæ etiam hodie obtinet nomine tenus:) Non ſecus, ac ſapientiſſimus Lycurgus ſuis, veſtium non tantum precium, ſed formam modumque præſcripſit: Quamvis noſtri non ita ſtricte id ſervarint: Nam argento uſi ſunt & auro: ſed parcius. Monetam Islandis non uſitatam reperio: veteribus, inquam, illis: ſed argentum ſtatera appenſum eſt: Mercium autem commutatio frequens. Ad hæc annuli aurei: & armillæ: utrumque in mnemoſynis frequens: à ſuperioribus ad privatos: vel ab amico ad amicum. Nec de habitationis aut victus ratione plura: Non enim τὴν οἰκονομικὴν aut διαιτητικὴν magis ex profeſſo, multo minus rem obſonatoriam aut coquinariam hic tractamus:

Nam, ut titulus oſtendit, Rem publicã, non privatam, propoſuimus.

Præter autem communem victus & habitandi rationem, etiam exercitiorum quorundam publicorum, initio quinti hujus capitis, mentionem feci. Ea ſunt vel ſeria, vel ludicra. Seria ſunt, in quibus victoriç contentione animi incaleſcebãt: extra tamen furorẽ & excãdeſcentiã. Talia ſũt palçſtra & ἱπτομαχία. In palæſtra viri, ac juvenes, experiendi roboris gratia, etiam nudi colluctabantur: Quæ conſuetudo Spartanorum fuit: niſi quod noſtri pube tenus tantum ſeſe nudarint; illud ſcilicet ex Olympiacis certaminibus mutuati, ne ſubligacula exuerent. Nec unctionis apud noſtrates fit mentio, ut apud Spartanos. Durat hujus conſuetudinis à majoribus acceptæ etiamnum ſpecimen aliquod. Ad palæſtram etiam alia gymnica exercitia refero: ut pilæ, & jaculandi certamen. Pila autem non ſcortea nec lanea, nec tomento flocciſve infarcta; ſed vel lignea, vel durioris alicujus materiæ, intelligenda eſt: Ea enim ſæpius vulnera inflicta ſunt peſſima. Pilam namque niſi colluſor manu comprehenderet, à vulnere aut etiam verbere ipſi metuendum fuit, ſi caput vel faciem fortiter impacta feriiſſet. Nec enim nullo periculo

certare volebant. Iaculatores aut ſagitta, aut funda Baleari ſe exercebāt: aut etiam haſta velitari, ſeu jaculis: quibus non minus quam ſagitta, quod vellent, configebant. Ad quam artem lacertorū robur plurimū contulerat. Ἱππομαχίαν appellare viſum eſt ludorum genus quo noſtrates equos generoſiſſimos ferociſſima pugna inter ſe committebant: *Heſtapyng*: *Heſtavvyg*: unde alii victi abibant, alii occiſi non abibant. Inſtigabantur autem quilibet à ſuo domino vel ductore, & agebantur loris vel bacillis, quo acriorem pugnam cierent: Nec alia in his ludis virorum opera fuit: id quod tamen ſumma animi intentione agebant; adeo ut ſiquis hic dolo aut mala fraude uteretur, aliave extraordinaria injuria, ſæpe ad arma concurſum ſit, ſed id præter morem & intentionem ludorum. Quamvis autem non facile conjicio, quis finis huic certamini propoſitus fuerit alius, quàm victoriæ forſan propoſitum præmium: originem tamen, ut reliqua gymnica, à Græcorum ludis traxiſſe videtur; quos ipſi πολεμιστήρια & ἱπποδρόμια nuncupavere Athenis, in honorem Theſei inſtitutos, (quanquā illic curſu potiſſimum equorum certatum intelligatur:) vel forſan

à Romanorum ludis Circenſibus quos *Equiria* appellatos, & in Martis honorem inventos fuiſſe, conſtat; & in quibus equos pecuniam ſive præmium meruiſſe (ſive curſu, ſive pugna) ex Plinio diſcimus. Ludicra exercitia, in quibus animi relaxatio magis ſpectabatur, quã roboris experimentum, ſaltationes fuerunt muſicæ, ut ſtaticuli & orbis ſaltatorius. Staticulos voco ſaltationem ad ſtatos muſicos concentus; quæ carmen vel cantilenam quaſi præceptum ſaltandi adhibet. Præcinit autem unus: duo pluresve paulo ſuccinunt: reliqui ad numerum ſeu rhythmum ſaltant. Orbis ſaltatorius viris & fæminis alternatim incedentibus conſtabat, & quodammodo interſectis & diviſis. Videtur utrumque ſaltationis genus, ſaltationis Græcorum ſimulachrum aliquod referre:& quidem orbis ſaltatorius ὅρμῳ Lacedæmoniorum non abſimilis: niſi forte in hac re: quod hic ſinguli ordine cantilenam aliquam cantant per certas pauſas, dimidiis verſibus (qui à choro reliquo, una voce canendo repetuntur) conſtantes: ad finem ſingulorum verſuum, principio vel fine primi verſus reduplicatione quadam (aliquando etiam ſine ea) intercalato. Si plura ſaltationum genera quis numerare velit;

huc tamen referri commode poſſunt. Dico autem ingenuas tantum. Ludicrorum etiam puerilium plura ſpecimina apud noſtrates reperiuntur; ut oſcillationes, cindaliſmi, aſcoliaſmi, apodidraſcindæ, myindæ, baſilindæ, chytrindæ, dielcyſtindæ, epoſtraciſmi, &c. Et jam hoc caput de moribus ſeu communi vivendi ratione Iſlandorum abſolviſſe videor: Nam quæ fori aut ſacrorum propria ſunt, ſpecialius tradentur. Hæc, inquam, de victus ratione veterum illorum: Ad quam, quantum ejus fieri poteſt, horum temporum conſuetudo accommodata eſt.

CAP. VI.

Forma Reipublicæ Iſlandorum: & ſimul de eorundem Religione Ethnica.

GEntem Iſlandicam à ſubjecto loco & quibuſdam adjunctis hactenus deſcripſimus: ad quæ ſimul efficiens & materia quaſi concurrebant. Sequitur ejuſdem forma Reipublicæ & conſtitutio: ex qua demum patebit, an audacter nimis vel abuſive reipublicæ & civitatis appellationem hoc loco adhibeamus, eo quod urbes non habeant Iſlandi. Quibus pro me reſpondebit Io. Bodinus, *Method. hiſt. cap.6. Familia,*

lia, inquit, *tres perſonas: collegium, quinque eodem imperio domeſtico contentas complectitur. Reſpublica autem ex pluribus conſlata familiis* (aut collegiis) *etiamſi locis ac ſedibus à ſe invicem divelluntur; modo ſint in unius imperii tutela, ſive unus imperet omnibus, ſive ſingulis univerſi, ſive pauci univerſis.* Item: *Non refert*, (ſcilicet ad conſtitutionem Reipublicæ,) *utrum eodem loco coëant familiæ, an locis ac ſedibus ſejungantur: Non aliter atque familia dicitur eadem, tametſi paterfamilias ſeorſim à liberis & ſervis, aut hi à ſe invicem, locorum intervallis diſtant: modo patrisfamilias legitimo & moderato imperio conjungantur. Moderatum dixi, quia hoc maxime differt familia à Republica, quod hæc ſummum & publicum, illa moderatum & privatũ imperium habet.* Ex his tandem rotundam Reipublicæ definitionem infert: præmiſſa antea variarum de hac re ſententiarum confutatione. *Ex quo*, inquit, *illud efficitur; ut Reſpublica nihil aliud ſit, quam familiarum aut collegiorum ſub unum & idem imperium ſubjecta multitudo. Hæc ex Neratio, Vlpiano, & Apuleio aliiſque compluribus:* inquit Bodinus. Talis vero cum ſit hæc hominum ſocietas in Iſlandia coacta, (ut ex ſequentibus erit manifeſtum;) nos eam Rei-

publicæ nomine fraudare noluimus: ut neque civitatis; (quæ non ſolùm eodem imperio, ſed jure quoque ſeu legibus eiſdem, rectiſſime ab eodem Bodino definitur;) quum id pariter Iſlandorum Reipublicæ conveniat. Sic Cæſar Helvetiam totam, unam civitatem appellavit. *Omnis*, inquit, *civitas Helvetiæ, in quatuor pagos diviſa eſt.* Sic Cicero Tuſculum municipium Romanâ civitate contineri dixit. Sic Cenſorinus apud Appianum Carthaginenſium legatis reſpondit; ſe urbem Carthaginis deleturum: civitatem vero Carthaginis non deleturum. Sed audi Antonini Imperatoris legem, qui omnes homines liberos, monarchiæ Romanæ finibus comprehenſos, cives Romanos eſſe juſſit. Non eſt igitur mœnibus eiſdem & area definienda civitas. Sed poſtquam ad has me grammaticationes (ut ſic loquar) lectorum quorundam difficile adegit palatum, ad rem revertamur. Itaque apud noſtrates, cum viri boni & prudentes popularium ſuorum cœtus in juſtam gentis multitudinem excreſcere cernerent; de aliqua Reipublicæ forma, qua promiſcuum vulgus in officio contineretur, mature cogitare cœperunt, τῆς ἀναρχίας ἀνομίας καὶ τῆς ὀχλοκρατίας incom-

incommoda facile expendentes. Quod ipſorum conſilium ad annum à primo ingreſſu ſexageſimum (quouſque ſcilicet incolarum & habitationum numerus auctus eſt) non equidem adſtringo: cum de legibus ante ſexennium uſitatis ex annalibus conſtet, circa annum nempe Domini 928.

Primus ſtatus Reipublicæ Iſlandicæ *Ariſtocratia* fuit. In qua quidem primum civitatis Iſlandicæ partitio: tum munerum publicorum diſtinctio: tertio legum conſtitutio: quarto Religionis mutatio, conſideranda veniunt. Religionis forma initio cum rebus civilibus ob commune ſubjectum (ſacrorum nempe & fori locum eundem, eoſdemque antiſtites) mixta.

Ariſtocratiam igitur ſeu optimatum ſtatum condituri Iſlandi, (cum terra ſparſim, non conjunctim habitaretur:) civitatem ſuam primo in quartas ſeu tetrades, à mundi cardinibus principalibus denominatas, & ſupra poſitis terminis diſtinctas, (qualis etiam fuit ipſius inſulæ partitio geographica ſuperius, *ad finem capitis* 1,) Borealem, Orientalem, Auſtralem, Occidentalem, partiti ſunt. Quartas rurſus in tertias: niſi Borealem: hæc enim, utpote reliquis amplior, in quartas tributa eſt. Tertias

vero

vero iſtas iterum in ſuas partes ſubdividebāt: alias quidem decimas: alias paulo aliter. Quibus cum nomen conveniens non invenirem, vernaculum retinui: quod illis eſt *hreppar:* nos *reppas* (quibus etiam à ῥέπω etymon non inconveniens) fingamus. Prima enim hic erat publico munere fungentium ἀῤῥεψία ſive ἰσοῤῥοπία. Æquitas enim ſeu ſententiæ & judicii atque animorum æquilibrium, in reliquo magiſtratu ſervandum, merito hic incipere debuit. Niſi quis hic ad *Reeb,* id eſt, funes, quibus diviſio fiebat, reſpectum eſſe maluerit, de more etiam ipſorum Hebræorum antiquiſſimo.

Reppa quælibet regulariter ad minimum xx (nam ſæpe plures) colonos continebat, certo rei familiaris augméto definitos: infra quod non licuit tenuioribus *reppis* accenſeri; ditioribus licuit.

Porro in ſingulis tertiis, ut & Borealis quartæ quartis, quas olim (*pyng*; hodie etiam *ſyſlu, herad*) præfecturas appellabant, tria loca inſigniora deſignabant, foro ſacrata & judiciis. Præterea etiam ſacris Ethnicis dicata: illis *hoff*: nobis lararia & delubre. Lararium quodlibet pro ratione hujus terræ magnifice extructum erat. Quorum duo leguntur fuiſſe 120 pedum longa: Vnum in

præfectura *Watzdal*, Iſlandiæ Borealis: Alterum in *Kialarnes*, meridionalis Iſlandię: & hoc quidem pedes latum 60. Singula adhæc lararia fanum in ſacelli morem ſibi adjunctum habebant. hic locus ſacratiſſimus: hic idola & dii manu facti in ſuppedaneo ſeu ara quadam conſiſtebant; quos circum pecudes iiſdem mactandę diſponebantur. Deorum autem princeps & medius Iuppiter; illis *Thor*. à quo Septentrionalia hæc regna diem Iovis *Thorsdagh* etiamnum indigetant. Huic reliqui Dii collaterales; quorum nec numerum certum accepi, nec nomina. In veteri tamen juramenti formula (cujus poſtea erit mentio) tres præter Thorum nomine notantur: *Freyr*, *Niordur*, *As*. Quorum tertium, nempe *As*, exiſtimo eſſe *Odinum* illum famoſum, inter Divos Ethnicos non poſtremum habitum; (cujus ſupra memini:) dictum *As* ſynecdochice, quod is Aſianorum huc in Septentrionem migrantium princeps fuerit: ſingulariter namque *As*, at multitudinis numero *Aeſar* vel *Aeſer* dici cœperunt. Hic *Odinus*, ut dictum antea, ob inſignem magiæ diabolicæ peritiam, qua Divinitatem, ut *Machomet* alter adfectabat, poſt obitum in Deorum numerum relatus eſt, à quo hodie dies Mercurii

Odens-

Oldensdagur, Odini dies. unde fortaſſe *Odinum* Mercurium, ut *Thorum* Iovem, non male appellavero: *Odinum* tamen Martis loco colebant veteres: & bello cæſos *Odino* mactari dicebant. Odini autem ſocii ſive filii fuerunt *Freyr* & *Niordur*: iiſdem artibus, quibus pater aut princeps *Odinus*, Divinitatis opinionem adepti. Monui autem ſuperius, in plaga maxime Arctoa Reges poſt fata pro Diis cultos eſſe, *cap.* 4. Sed horum cultus ad Iſlandos non pervenit: quocirca de illis hoc loco nihil.

Ante Deorum illud ſuppedaneum, in prædictis fanis ſitum, ara extructa ſtabat, ferro ſuperne inveſtita; ne igni, qui ibi perennis eſſe debuit, læderetur. In ara etiam lebes ſeu æneum vaſculum repoſitum erat, quo hoſtiarum ſanguis exciperetur; adjuncta luſtrica, & aſpergillo, ad victimarum cruorem aſtantibus aſpergendum. In ara præterea annulus aſſervabatur argẽteus (vel ex orichalco) unciarum xx, quem forenſi aliquo munere fungentes, jusjurandum jam præſtituri, victimarum illinitum cruore religioſe inter jurandum contrectabant. Ad victimas ut plurimum quadrupedes deſtinabantur, in ſacrificantium epulas convertendæ. Quamvis interim (dolendum) comperiam, cæcos Ethnicos

viſti-

victimis humanis, etiam uſos loco prædicto *Kialarnes:* ubi pro lararii foribus puteus profundiſſimus, in quem victimæ humanæ demergebantur: qui puteus à ſacrificio *Blotkellda* dictus eſt. Itemque in Iſlandia Occidentali, provincia *Thornes thing*, erat in medio fori circus, in quem homines Diis ad immolandum deputati colligebantur: qui ad ſaxum prægrande ibidem poſitum colliſi necabantur. Cujus rei indignitatè ſaxum illud fertur colore ſanguinolento nullo imbre abluto multis poſt ſeculis retuliſſe. Cæterum illa immanitas, illæ Saturni hoſtiæ, haud diu duraſſe apud Iſlandos videntur: & ſane, nec alibi uſitata, quam duobus locis aſſignatis. Imo nec ejus provinciæ incolis omnibus, ubi exercita eſt. Nam de *Hiorleifo, Ingulphi* ſupra commemorati ſocio, traditur, quod cultus idolorum penitus fuerit averſatus. *Helgo* etiam, cognomento *Biola*, Baronibus Norvvegicis oriundus, *Kialarneſenſis* Provinciæ incola, Ethnicæ religioni parum favit: Irlandum namque hominem Chriſtianum exulem in viciniam recepit, *Ornulfum* nomine, cum ſuis familiis: nec recepit ſolum, ſed & ædem *Divo Columbo* ſacram extruere permiſit, in villa *Eſiuberg*. Ejuſdem quoque provinciæ juvenis quidam, *Buo* dictus,

ctus, ſacratiſſimum illud humanarum victimarũ fanum & deos univerſos incendio delevit; quamvis poſtea à proprietariis reparatũ: Quippe illud Poëtæ, quamvis Ethnici, forte noverat:

——Nulli commiſſa metallo
Forma Dei: mentes habitare & pectora gaudet.

Torchillus adhæc, cognomento *Mane*, (fortaſſe ideo, quod Lunam, quæ *Mane* dicitur, & reliqua ſydera, majore cum religione quam reliqui ſuſpexerat, (vir integerrimæ vitæ, & inter Optimates Iſlandiæ celebris, ſub agonem adverſo ſoli ſemet exponi curabat; cœlique & totius mundi opificium palam admiratus, ei deorum, qui ſolem reliquaque creaſſet ſydera, fugientem moriens commendavit animam. Vixit circa annum Chriſti 970. Idem vel ſimile de aliis quam plurimis, durante adhuc Ethniciſmo, referri poteſt. Vt de *Hallero* quodam meridionalis Iſlandiæ incola: qui, quod idolorum cultum non ſequeretur, *Godlaus*, id eſt, ἄθεος, dictus eſt: Itemque hujus filius *Helgo*.

Illud autem de victimis humanis non fruſtra, nec ad opprobrium gentis, hic commemoro: ſed ut eo nos moderni, illorum hominum poſteri, excitemur ad conſiderandum ſerio, quantum à nobis

divi-

divinæ bonitati debeatur; qui nos, mente indulta ſaniore, tenebris iſtis pluſquam Cimmeriis exemit, & divinioris lucis radio illuminavit.

CAP. VII.

Munera publica, ſeu Magiſtratuum & fori politici diſtinctio.

ISta fuit veteris Civitatis Iſlandorum partitio: in quam etiam religionis conſignatio incidit. Munera publica, alia hinc diſtinguuntur; alia aliunde originem habent. Quæ hinc ſumuntur; ſunt *Reppagogia*, (ut fingere liceat) & Provinciarum adminiſtratio: quemadmodum ſcilicet partitio illa in *Reppas* & Provincias, tanquam diſparatas ſpecies, definebat. Vtraque autem imperium aliquale conjunctum habebat: Etenim tam *Reppagogi* (ſic enim *Repparum magiſtros* appellare liceat) quam Provinciales præfecti, conventus indicebant, judicia conſtituebant (in ſuo foro quilibet) ſontes plectebant. Vnde conſtat, provocationis jure etiam in alienis cauſis (nam in propriis etiam privati habebant jus provocandi) uſos: adeo ut etiam *Reppagogos* Magiſtratus titulo complecti non verear. Qui à Bodino definitur is, qui imperii publici partem habet. *Meth. hiſt. cap.* 16. *Publicum*, inquit,

adjeci, ut ab imperio herili & patrio diſtinguatur. Si quis igitur rotundiorem magiſtratus diſtinctionem deſideret; ea talis foret: Magiſtratus eſt inferior aut ſuperior. Inferior, eſt *Reppagogia* vel Quinqueviratus, qua in ſingulis *Reppis* quinque coloni ad *Repparum* moderationem delecti utebantur; quos hic *Reppagogos* & Quinqueviros nuncupare cogimur; (illis *Hreppſtiorar;*) ſapientia & integritate primum, tum immobilium bonorum poſſeſſione definitos, niſi de hoc poſteriore ex communi ſententia aliter viſum. Quorum prius ratione evidente, poſterius etiam probabili. Ejus enim *Reppæ* commodo ſtudioſius curaturum veriſimile eſt, in qua quis fundos habeat proprios. ne commune damnum etiam ad privatos redundet. Quamvis non privato ſolum commodo ad virtutem duci, frugi illa voluit antiquitas. Ideoque additur: *Niſi ex communi ſententia aliter viſum:* id eſt: Niſi *Reppagogiæ* candidatorum integritas adeo reliquis ſit perſpecta, ut iſta cautione nihil ſit opus. Addo & aliam rationem: Voluerunt fortaſſe cives, id munus ab alio ad alium haud ſæpe transferri; dum eo quis rite fungeretur; Ideoque fundorum poſſeſſione *Reppagogos* eoſdem in eadem Reppa retineri exiſtimabant.

Porro

Porro *Reppagogorum* munus, pauperum cura definitur: Huc namq;omnia, quæ verboſe & paſſim de eo tradita ſunt, referre conabor. Illud autem quod pauperum cura requirebat, quilibet intra ſuæ *Reppæ* metas duobus hiſce modis aſſequi conati ſunt. I. Vt proſpicerent, ne quis ſubito ad extremam paupertatem redigeretur: quantum quidem in humano conſilio ſitum. II. Quomodo factis jam mendicis, communi ſubſidio alendis, providerent.

I. Et primam quidem muneris ſui partem via triplici aggreſſi ſunt. Primũ, latis legibus adverſus propriâ culpâ (humanitus loquendo) factos mendicos. Cujuſmodi ſunt illæ; *tit. de exhæredandis: cap.* 3: Parentibus mendicis natus & ipſe oſtiatim victum quærendo educatus (niſi morbo affectus hæreditatem nullam adito. quandiu ſcilicet oſtiatim vivit; *cap.* 18: *ejuſdem*: & primum triennium à mendicationis tempore proximum; *cap.* 20: ne ſcilicet quis, ſimulato virtutis ſpecimine, legibus imponeret. Item altera lex de ejuſmodi mendicis impune caſtrandis, etiamſi cum eorundem nece conjunctum foret. *titulis de pupillis: cap.* 33. ne videlicet oſtiatim vivendo liberos gignerent ſimiles parentibus, qui poſtmodum oneri eſſent

Reipublicæ. Itemque tertia lex, de eiſdem mendicis non alendis: (*titul. de mendicis: cap.* 39 *&* 63: Apoſtoli præcepto non repugnans; Qui non laborat, non manducet: 2 *Theſſal.* 3:) & ne domo quidem recipiendis: *cap.* 45 *ejuſdem*: irrogata gravi mulcta, ſi quis in hanc legem peccaſſet: *ibid.* Cui inſtituto, quæſo, quid aliud ſubeſt, quam olim Atheniensium conſuetudini? inter quos Areopagitæ in ſingulos cives inquirebant, qua quiſque arte viveret: & in jus trahi curabant eos, qui ſe turpi & incerti otio addixiſſent. Quid aliud, inquam, quàm ſub Maſſilienſium decreto? qui civitatis ſuæ ingreſſu eos prohibebant, qui artem nullam noverant, qua vitam ſuſtentarent: & ne quis artes vel inutiles vel inhoneſtas coleret, locum nullum dabant luſoribus, mimis, gelotopœis, ſcurris, circulatoribus. Quid denique aliud, quam quod Solonis inſtitutum voluit, ſancientis, ne quam gratiam parentibus liberi deberent, à quibus in nulla arte honeſta ad victum parandum inſtituti eſſent. Tantos habuit vetus ſeculum & tam acres ad virtutem ſtimulos; etiam apud noſtrates; quos in poſtremo hoc, ah nimium degenero, cum dolore deſideres, omnibus iſtis conſtitutionibus

bus ſublatis. Quocirca majorem in modum augetur numerus τ̃ ἀτάκτων; ut Paulino verbo utar; hoc eſt, eorum, qui omnis diſciplinæ expertes in deſidi ac turpi otio ordinem divinitus inſtitutum invertentes, ſibi ipſis infames vivunt, & communi patriæ graves ac moleſti. Cujus rei curam ſi adhuc magiſtratus ſuſciperet, melius profectò cum multis ageretur. Sed ſint iſta alterius loci.

Secunda præcavendæ egeſtatis ratio & via, fuit Lex ſeu Edictum, de iis qui *Reppa* donari, vel *Repparum* cives fieri volebant. Etenim in *Reppam* nullus recipiendus erat, niſi prius conventum ejus *Reppæ* ſolennem adiiſſet, & admitti ſe petiiſſet: Quod non denegare integrum niſi furti, aut alterius alioqui criminis convicto; aut tam inopi, ut idcirco ad *Reppas* ineptus foret, nec poſſet ſine communi mendicorum eleemoſyna ſe ſuoſque ſuſtentare. Quod ſi quis iſti conventui intereſſe non poſſet, à quinque colonis, proprios fundos, & ei, quem is aditurus erat, maxime vicinos, habentibus, cohabitandi veniam rogare tenebatur. Si quis integra fama & facultatibus præſtans, non rogata venia, in *Reppas* tamen con-

ceſſiſſet; habitationem ille quidem retinuit, ſed à *Repparum* jure & privilegiis excluſus. Sin vero improbus aliquis ſeſe impermiſſu ingeſſiſſet, (licet vacantem fundum à domino legitime conduxiſſet,) idem vi depellendus erat: *titulus de Reppis, cap.* 48. Eodem pertinet edictum de ſervis extra *Reppam* petitis, *cap.* 47. *ejuſdem.* Sapiens illud erat contra mendicantem inopiam conſilium; ac cum Maſſilienſium decreto, quod paulo ante poſuimus, in primis congruens. Nam ſi quis improbus, multa ipſe perpetrare, ad multa patranda alios impellere poterat, quæ irrogatis mulctis pecuniariis etiam mediocrem ſubſtantiam exhaurirent, aut in hoc vitæ & fortunarum periculum adducerent, ut quis nec ſibi, nec veris mendicis proſpicere poſſet. Sin primo vero aditu quis egenus, quid inde reliquum? Improbis igitur & inopibus hac de cauſa Reppis interdicebant.

Tertium adverſus egeſtatem ſtatutum fuit de damni privati reſtitutione, *titul. citato, cap.* 47. Cujus exemplum dabitur primo in domibus incendio fortuito abſumptis: iiſque quatuor generum. Penuarium enim, culina, dormitorium, ſeu cubile; & ſacellum, ſi conflagraſſent, damnum acceptum à

quinque vicinis intra dies XIV æſtimandum erat, tam ipſius domus, quam rerum contentarum, maxime neceſſariarum; utpote penus, veſtium & ſupellectilis quotidianæ tantum, ad patrem ſolum familias pertinentium; excluſis alienis, ut & theſauris aliiſque rebus magis pretioſis, quod ſine his *Repparum* civis quis idoneus eſſe poſſet. Æſtimati deinde damni pars dimidia à tota *Reppa*, collatis in commune ſubſidiis, pro cujuſlibet coloni facultatibus, intra præſcriptum tempus reſtitui debebat. Alterum exemplum hujus beneficentiæ legibus injunctæ eſt de pecudibus peſte abſumptis. Si cui enim quarta pars pecudum aut plus eo deceſſiſſet, damnum ſimiliter intra dies XIV ceſſante morbo elapſos æſtimatum, ut prius illud, communibus auxiliis ex parte dimidia relevandum erat. De utroque cautio adhibita, ne idem hoc beneficium quartum præſtaretur; ne ſcilicet quis nimia & ſupina negligentia damnum ſibi accerſeret. *de Reppis: cap.* 47 & 48.

II. Altera pars muneris *Reppagogici* circa curam pauperum erat; de factis jam mendicis, vel morbo, vel ætate, vel aliis non proprii arbitrii caſibus, certa eleemoſyna alendis; deque aliis, qui ad eleemoſynam non pertinerent, exclu-

dendis;& caſibus variis eodem ſpectandibus. Eleemoſyna iſta privata erat; vel publica. Privata: de qua lex de mendicis à tribulibus, ſeu cognatis, uno vel pluribus, certo & lege definito facultatum augmento pollentibus, in numerum familiæ recipiendis; alendiſque certis legibus, pro gradu ſucceſſionis hæreditariæ: Vt enim quiſque mendici hæreditati, ſi bona poſſideret, proximus erat, ita ad eundem ſuſtentandum primus cenſebatur. Deficiente vero proximo gradu, aut eodem egente, aut non habente unde ſe ſuosque & præterea mendicum illum ſuſtentaret; ea neceſſitas ſecundo, tertio,&c. gradu junctis incūbebat. Publica eleemoſyna fuit, quoties deficientibus cognatis vel tribulibus mendici *Repparum* ſubſidiis vivebant, in ſua *Reppa* quilibet alendus: de qua re legum præſcriptæ conſtitutiones; qui mendici nempe ad quam *Reppam* pertinerent, & qui non; & de non pertinentibus juridico proceſſu arcendis. *Reppagogi* itaque, muneris publici his terminis circumſcripti participes, conventus indicebant. alios quidem & tempore & loco ſtatos ſive ordinarios: alios non ſtatos, ſive extraordinarios; quoties ſcilicet novi aliquid erat, ad illorum curam ſpectans, de quo ſtatuerent.

rent. Extraordinarios conventus etiam privatis ciere licuit; iis ſcilicet, qui cauſam conventu & judicio dignam haberent. Conventus vero habendi ſignum erat (poſt annum certe milleſimum, quum jam in fidem Chriſtianam juraſſent;antea fortaſſe ceſtra vel malleus Iovis: *hamar Fhors)* pro ejus temporis religione crux lignea, quam quilibet colonus ad ſuum vicinum perferret, die, loco, & cauſa conventus indictis: cujus ſigni intermiſſi aut neglecti certa pœna. Illic igitur *Reppagogi* de rebus ad ſuam curam pertinentibus ex æquo & bono conſultabant, ſtatuebant, ſontes plectebant: Ibi reus, ſi injuria privata eſſet, à læſo in jus citabatur, autoritate publica non accedente: (id quod etiam Spartanis in uſu fuiſſe legimus:) Sin vero publica injuria, (vel ſi læſus in privata offenſa reum citare nollet aut nequiret;) à *Reppagogorum* aliquo. Contra *Reppagogos* etiam officii negligentes aut alioqui injurios, privatis agendi jus fuit: Vbi mulcta pecuniaria, *Repparum* civibus cedebat. De quibus omnibus aliiſq; huc ſpectantibus habetur in codice II. *de Reppagogiis cap.*43. Et de magiſtratu inferiore, hoc eſt, *Reppagogis*,tantum: prima ſcilicet magiſtratus civilis ſpecie.

Sequitur magiſtratus ſuperior;qui in Provinciarum præfectos diſtinguitur, &Nomophylaces. Provinciarum præfecti fuere ſinguli in ſingulis provinciis (quas Tertias, ſcilicet cujuſlibet *Quartæ*, ſupra vocabam) munia tam fori publica quam ſacrorum obeuntes: ſeu, fuere Iuris & Sacrorũ interpretes: (quanquam Iuris interpretatio poſtea magis ad Nomophylaces ſpectabat.) Quemadmodum apud Romanos Ædiles Prætoriæ juriſdictionis partem etiam uſurpabant: Apud veteres quoque Hebræos Pontifices, item apud Romanos Pontifices, victimarii erant: Vnde Horat. carmin. lib. 3, ode 3:

Quæ creſcit Albanis in herbis
Victima, pontificum ſecures
Cervice tinget.

Præfecti igitur iſti, qua ſacra curabant, ſacerdotes;qua forum & judicia, judices fuerunt. Eos Optimates hoc loco appellamus, & ſtatum Reipublicæ horum inſpectione gubernatũ, Ariſtocratiam. Iidem noſtratibus *Godar* & *Hoffgodars* ab æde ſeu delubro, (quod *Hoff:*) quaſi ædiles & æditimi: Eorumque officium ſeu dignitas *Godord*: nomine videlicet à Diis illorum Ethnicis, quos *God* nuncupavere, quam proxime derivato; ut vel ipſo nomine ad virtutes, ſapientiam, juſti-

juſtitiam, &c. in præfecto tali requiſitas, ii, qui Deorum nomen ferme & vicem gererent, admonerentur.

Vt vero ſe tales exhiberent, eundem judiciis forenſibus, quem ſacris, deſtinatum locum autumo: ad prædicta nempe delubra. Etiã idcirco quia ad σύβουλίαν, ſeu conſilia recte capienda, quorum in foro maxime uſus, ſacrorum locus aptior religioſe creditus ſit. Porro conventus, Præfecti provinciales, ut *Reppagogi*, duplices habebant: annuos ſeu ordinarios, & indictivos ſive extraordinarios, exigente neceſſitate aliqua dies complures durantes: idque, ut veriſimile eſt, per ſignum aliquod habendi conventus, coactos; ut modo de *Reppagogis* dictum eſt: Quod olim quale fuerit, non equidem conſtat; niſi id fuit, quod poſtea & etiamnum in uſu eſt; forma ſecuris Norvvegicæ lignea, ea ratione circumlata inter provinciales concives, ut de cruce lignea paulo ante diximus. Hic fori judicialis index, noſtra lingua *Bod*, id eſt, nuntius, dictus eſt.

Fori provincialis ſpeciem habebat, cum de ſolutione ex bonis demortui facienda judicium fiebat; licet alio, quam ad delubra, loco; nempe domi ejus qui demortuus fuerat; ab hæredibus, & eo qui ſolutionem expoſtulabat, conſtitu-

tum;

tum; diebus XIV à conventu vernali provinciæ ordinario elapſis. Itemque in cauſa homicidii, cum occiſi aut graviter vulnerati hæres, aut qui hujus loco eſſet, conventum intra triduum cogebat ad ſepulcrum cadaveris, vel in loco homicidio fœdato. Hujus conventus index fuit telum ligneum: unde *Orvarpyng*. Item cum de paſcuis vel limitibus controverſum eſſet, conventus alibi quam ad delubra fiebāt, intra dies quinque à citatione lapſos: unde *Fimtar ſteffur*, *Fimtarpyng*. Et ſic forſan in quibuſdam aliis: ſed raro.

Porro ad delubra ſinguli tributū ſeu vectigal quoddam annuum pendebant: cujus exactor æditimus: Sic enim de Sacris loquens, Optimatem quemlibet (date veniam, Grammatici) appello. Eidem quoque delubri & fori profanatorum mulcta cedebat: qui viciſſim ſuis ſumptibus delubrum ſuſtentare vel ſartum tectum conſervare debebat. Ei denique, quodlibet damnum provinciæ illatum emendandi, aut imminens præcavendi & antevertendi, provincialium opera utenti, neceſſitas & ſumma cura incumbebat: ita, ut ad fures & latrones publicos delendos, reperias qui vitæ propriæ fuerint prodigi: contra, eheu, quam hodie paſſim fieri cernimus; ubi fu-

rem

rem notorium, aut alium cujusvis ſceleris capitalis ſemel aut iterum convictum, lege damnare religio magna, major necare. Iſti ſunt provinciarum Præfecti: Nomophylaces ſequuntur.

Erat autem Nomophylax, magiſtratus ſuperioris ſpecies altera, iſtis paulo recentior: cujuſmodi fuit in univerſa civitate Iſlandica veteri (eam enim adhuc deſcribimus) uno eodemque tempore unus: qui à dicendo ſive recenſendo jure *Lögmann* & *Lögsogumann* dictus eſt. Etenim Reſpublica non ſubito, ſed paulatim conformari cœpit. Itaque prius extiterunt leges provinciales, ſimilis, ſed forſan non ubique ejuſdem ſententiæ, quam eas in unum corpus conflatas haberent. Quod ubi aſſecuti ſunt; earundem cuſtodiæ viros frugi & cordatos adhibuerunt: quos Nomophylaces appello: quorumque munus D. Nicolai Cragii verbis, Nomophylacum Spartanorum officium exponentis, optime deſcripſero. *Fuit autem* (inquit D. Cragius *lib.2.cap.6. de Republica Lacedæmon.*) *Nomophylacum munus, ut ex re ipſa percipimus, ut legum cuſtodiæ ad Reipublicæ utilitatem præeſſent; ne eas aboleri, mutari aut auferri à quoquam ſinerent. Deinde id operam dabant, ne legum*

vis exoleſceret, vel memoria obliteraretur: Sed magiſtratus adigebant ad earum crebram obſervationem & officii ſui executionem. Quin & exiſtimare poſſumus, hos ipſos fuiſſe legum interpretes, ſi quid forte ambigue poſitum, minuſve intellectum in diſceptationem veniret. Hæc Cragius. Quod ego idem de noſtris: illud addens; aliqualem fuiſſe penes hos cum optimatibus reliquis legum mutandarum aut innovandarum, etiam augendarum, poteſtatem, tanquam Oratores vel Conſiliarios; accedente populi conſenſu. Itaque de Ariſtocratiæ forma nihil Nomophylaces detraxerunt: Sed erant inprimis, ut dictum, Iuris interpretes & cuſtodes, auctoritate publica ad hoc armati; penes quos etiam erat codicis legum cuſtodia.

Hic porro magiſtratus ſuo officio præcipue functus eſt in eo conventu incolarum, quem Comitia annua ſeu Forum magnum & generale (ut ſuperiora illa merito particularia dici poſſunt) appellare licebit: illis *Althyng*: quo ex tota civitate Iſlandica quotannis gregatim confluebant: quo etiam plerumque cauſæ graviores reſervabantur & relegatæ ſunt. Iudices autem provinciales tanto cautius agebant in ſuo foro, ne ipſorum acta in comitiis retractarentur. Comi-

tia vero, poſtquã Nomophylaces creati eſſent, eorundem auctoritate conſtituta. &, ut illi locuti ſunt, conſecrata ſunt quotannis: In quibus tamen cauſæ quælibet coram ſuo judice provinciali diſceptabantur, nec ad cauſſas ignoti judices aſſumpti: præſente interim, velut inſpectore & judiciorum moderatore, vel, ſi mavis, quod antea diximus, legum interprete, Nomophylace: judicibus pedaneis ad cujuſlibet cauſæ diſquiſitionem ex ea provincia, ubi cauſa nata eſſet, coactis. Locus autem comitiorum primum fuit ad montem *Armanfell* Iſlãd ꝗMeridionalis: quę non multo poſt *Thinguellam* tranſlata: ſunt Olim (toto ſane Ariſtocratiæ tempore, aut forſan diutius) dies integros XIV durantia; initio circa Idus Majas facto. Præter trium generum conventus jam expoſitos interdum etiam in ſingulis Quartis Forum majus celebratum eſt: *Fiordnuga thyng*. quod majus appello reſpectu minoris; nempe provincialis fori: non reſpectu illius magni ſeu maximi, quod comitiorum nomine modo deſignavimus. Hoc vero forum quando cœperit, aut quam diu duraverit, non præciſe conſtat: quocirca id ſic ſpecialiter adnotaſſe ſatis.

In omni autem forenſi negocio provoca-

vocationis jus, ſeu poteſtatem in jus vocandi reum, alias habuit ipſe læſus; vel ejuſdem hæres legitimus maſculus, vel fœminæ hæredis maritus: alias ipſe magiſtratus: alias alius quilibet, *(Sa à ſok en vill,)* qui ſcilicet ad peccatum vel ſcelus à læſo vel magiſtratu conniveri ęgre ferret: Ideoque actoris jus licite uſurpavit, eo quod tam ille, quam reliqui, publico alicujus ſcelere offenſionem accepiſſet. Cui conſuetudini ſeu legi zelum quendam honeſti & virtutis ſubeſſe, non obſcure intelligimus. Mulcta proinde pecuniaria, alias actori, alias magiſtratui, alias civibus cedebat: de qua re, in ipſis legum conſtitutionibus copioſius.

Iam vero, qua religione, quove rigore, judicia publica veteris ſeculi integritas exercuerit, operæ precium eſt attingere. Forum enim judiciarium cum hæ perſonæ conſtituant: judex ſupremus, judices, pedanei vel legati: actor, reus; & teſtes: omnes hi in foro conſtituti initio actionis omnem dolum, fraudem, verſutiam, omninoque injuſtitiam, ſancte abjurabant. Cujus religionis ritus fuit; ut juramentum præſtaturi, adhibitis teſtibus, annulum, in ara Deorum aſſervari ſolitum (vide *ſupra cap. 6.*) & in foro judiciali à judice ſupremo in brachio geſtatum, (quare etiam armillam

millam potius intelligo,) hoſtiarumque Ethnicarum ſanguine plærumque (non enim ſemper) illinitum, attrectarent: hac fere formula verborum uſi: *Freyrum Niordum,* hoc eſt, Opitulatòrem illum Aſiaticum (παντοκράτορα: *hinn almattka as*: quo loco *Odinum* intellexerunt ſynecdochice: vide ſupra, *de Diis Ethnicis*, *cap.* VI.) *invoco & teſtor, me judicia & ſententiam laturum,* (judicum erat;) *cauſam acturum vel dicturum,* (actoris & rei;) *teſtem adhibiturum & perhibiturum teſtimonium,* (hoc teſtificantis & teſtantis;) *omnique forenſi negocio mihi incumbente defuncturum eſſe* (hoc univerſim omnium quos cauſæ forenſes tangerent) *ex juſtitiæ, veritatis & legum præſcripto.* Interdum etiam (forſan præcedente tempore, cum Deorum Ethnicorum æſtimatio, ductu rationis, cœpit imminui) per fidem ſuam jurabant. Fidem enim nunc cum Cicerone accipio, pro dictorum conventorumque conſtantia & veritate. Et, ut de ſuo Ennio locutus Tullius, *Vir ille; haud magna cum re; ſed fidei plenus.* Hæc juramenti formula etiam recentibus adhuc Chriſtianis in uſu fuit: ut videre eſt ex Codice, non uno loco. Hanc porro gentis integritatem & Nomo-

thetarum ſapientiam, quę ex jurisjurandi iſta ſtipulatione conſpicitur, arguit præterea in Codice lex ſcripta, *de judicum & teſtium examine*: Ne videlicet actoris vel rei pater, filius, frater, vitricus, gener, ſororius, ut nec inimicus, in judicio conſidat. A teſtimonio vero etiam remotiore gradu juncti arcebantur: Puta, ne neceſſitudinis vinculum; vel & contra, odium, juſtitiæ tenorem corrumperet. Ad teſtium denique fidem ſpectabat lex, Si quis teſtimonium rogatus ferre recuſaſſet, cujus tamen re vera conſcius eſſet: nempe ad nullum teſtimonium idem in poſterum aptus erat; neque eidem ullius honeſti viri teſtimonio ad ſuas res uti licuit; & pro capitis diminutionem minorem paſſo reputatus eſt, inſtar falſi teſtis: Divinæ legi non incongrue, ut veritatem celans rogatus, pro falſo habeatur. Iſtam veterum integritatem recentius ſeculum quadantenus legalibus cõſtitutionibus imitatum eſt: In eadem tamen exercẽda heu quam frigidum! id quod hodie multos nimis vere conqueſtos audivimus.

Atque hæc fuit munerum publicorum ſeu magiſtratus & fori politici diſtinctio, & qualiſcunque deſcriptio, in veteri noſtra Republica Iſlandica. Nunc porro, ut conſtet, noſtrates certis &

ſcriptis

ſcriptis legibus civitatem ſuam adminiſtraſſe, quædam (præter ea, quæ hactenus ad magiſtratus & munerum publicorum deſcriptionem neceſſario attulimus ſequenti capite de Iſlandorum Nomothesia delibanda ſunt. Sed delibanda tantum. Nam ſi univerſi juris Iſlandici corpus pollicerer; materia foret non minus Lectori tædioſa, quam mihi ſumme laborioſa. Nihil enim plus artium illa regina, Logica, noſtros Nomothetas, quam juris Romani ſcriptores veteres, quod jureconſultus quidam venuſta paronomaſia innuit, pro *antinomiis pantimanias* dicens,) à materiarum & titulorum confuſione vindicavit. Itaque delibabimus, ut dixi, pauca: præmiſſo Nomophylacum catalogo, ut legum cauſa adjuvante & conſervante. Efficiens enim principalis fuit Optimatum & populi conſenſus, quique legales conſtitutiones in ſcriptis extare voluerunt, ſucceſſive à Nomophylacibus & reliquis Optimatibus conformandas.

CAP. VIII.

Nomothesia vetus Iſlandorum delibata: præmiſſo Nomophylacum Catalogo.

ANno Domini CMXXVIII conſilium de legum (quæ in ſingulis provinciis

anteà forte ex parte differentes fuerant, quamvis de ſumma convenerat) forma aliqua communi initum eſt inſtinctu cujuſdam *Vlfflioti*, qui ex Norvvegia *Gulthingenſis* juris exemplar ante biennium attulerat; unde & noſtri multa mutuati ſunt. Cui legũ conformationi *Thorleifus*, cognomento *Sapiens*, *hinn Spake*, præfuit: adſcitis collegis aliquot: Quemadmodum apud Romanos ſcribendis Legibus Decemviri creati ſunt. Et ut huic conformationi promulgandæ aptior locus eſſet, forum illud magnum & generale tunc primum inſtitutum eſt. Ne vero fruſtraneus foret talis labor; novus iſte magiſtratus poſt biennium natus eſt, qui legum aſſertor eſſet, quem paulo ante Nomophylacis nomine inſignivimus. Quia autem Nomotheſia non tota ſubito extitit, ut modo monitum, (quamvis initio quædam corporis juris hujus lineamenta ducta ſint, prædicti Vlfflioti conſilio,) ſed ſucceſſive quædam addita, immutata, reformata; viſum, Nomophylaces (quorum opera & autoritate id quoque factum) hic, tanquam efficientem cauſam legum, (quamvis, ut dictum, non ſolam, interim tamen adjuvantem & conſervantem,) recenſere: per quorum ſucceſſionis tempora, Ariſtocra-

tiæ duratio ad finem pertexitur: & etiam veteres illi ſuam æram ſive annorum ſeriem digerebant: veluti Lacedæmonii ſuos faſtos Ephororum nominibus; Romani, Conſulum diſtinguebant.

Primus itaque Nomophylax, anno Domini.

930 conſtituitur *Rafnerus*, *Cetelli Hænge* filius, *Thorcilli Ducis Nanmedalenſis* in Norvvegia nepos.

950 *Thorarinus Hiallta* f.

970 *Thorcillus Mane*, *Thorſteni* filius; *Ingulfi* veroIſlandię primi incolę nepos; de quo ſupra, *ad finem capitis* 1.

983 *Thormodus*, *Torcelli Mane filius*.

996 *Thorgeirus Lioſvvetninga Bode*: Quo Nomophylace religio Ethnica finem accepit, anno 1000, ut ſeorſim monendum venit.

1002 *Gunnarus Suertingi f. Moſſellingur.*

1004 *Scapterus Thorodis f.*

1028 *Steno.*

1032 *Arnorus Thorſi f.*

1054 *Gellius.*

1063 *Gunnarus cognomine Sapiens.*

1065 *Kolbeinus Floſonis f.*

1067 *Sihgvaterus.*

1071 *Gellius* iterum.

1075 *Gunnarus* iterum.

1084 *Marcus Sceggi f.*

1093 *Bergthorus Rafneri. f.*

1097 *Marcus* iterum. Hoc Nomophylace peculiariter adnotatum reperio, nonnulla in legum Conſtitutionibus immutata & novata fuiſſe: Quæ tamen provincia alteri cuidam, Borealis Iſlandiæ civi, (cui *Maro* ſive *Marius* nomen; *Mar,*) demandata erat; ipſo quoque *Bergthoro*, cum paucis aliis, ad eandem rem delectis. Quod vero ab his decretum eſt, communi conſenſu, anno proximo 1094 in foro magno ſancitum eſt. Ex hoc genere fuit Lex de Homicidio, prolixa & varia: nobis *Wügslode:* & multæ præterea Leges, quæ poſtea diu obtinuerunt.

1099 Gunnarus Thorgeiri f.

1208 Vlfhedinus.

1116 Bergthorus iterum. Et hoc tempore Ius canonicum Iſlandorum, *Kriſtin rettur*, ſcriptum & receptum eſt.

1122 Gudmundus.

1135 Rafnerus Vlfhedini f.

1156 Finno Halleri f.

1159 Snorro Himbogi f.

1171 Styrkarus Oddonis f.

1181 Gyſſerus Halleri f.

1201 Hallerus Gyſſeri f.

1215 Snorro Sturlæ filius, autor *Eddæ* libri.

1219 Titus Thorvaldi f.

1222 Sno-

1222 Snoro Sturlæ f. iterum.

1232 Styrmerus.

1236 Titus Th. iterum.

1248 Olaus.

1251 Sturla Sighvati f.

1252 Olaus iterum.

1253 Titus Einarius.

1259 Cetillus vel Catullus, ad annum uſque Chriſti 1262; qui & Ariſtocratiæ finem impoſuit.

De Nomophylacibus nihil præterea, quantum ad legum conſtitutiones, Ariſtocratiæ tempore, adnotatum reperi; in ſpecie quidem: Sed generalis juris corpus extat: Ex quo jam quædam leviter, & ſummis, ut dicitur, labris, libanda: hoc fine; ut appareat, quid quantumve adReipubl. Iſlandorum formam,& conſtitutionem, legis ſcriptæ autoritas & valor contulerit.

Nomothesiæ delibandæ initio quædam generalia rerum & perſonarum requiſita adnotantur,

VNiverſum Ius Iſlandicum cum circa perſonas, vel res verſetur; harum generalia requiſita, in ipſis Legum conſtitutionibus ſæpius recurrentia, utrinque primum ex ipſo jure notanda veniunt. Et de perſonis quidẽ priore loco.

Perſonæ autem in eo fuerunt diſcri-

mine, quo apud veteres Romanos & alias gentes. Alii enim liberi & cives tantum: alii ſervi. Liberi rurſus alii nati, alii facti ſeu liberti, hoc eſt, manumiſſi. Ritus vero manumiſſionis hic fuit; ut libertatis candidatus ab optimate, ſeu provinciæ præfecto, in foro publico, rogatu domini, ſiſteretur; atque civium provincialium albo inſcriberetur; Cum idem prius in leges publicas per S. crucem manu geſtatam (puta apud Ethnicos per aliquid aliud) ſic fere juraſſet: *Vos præſentes teſtes eſſe. Ego per ſanctam crucem dejero, me legibus obtemperaturum publicis ut qui rite obtemperat: velleque poſthac juris publici manere participem. Fallenti Deus ſuccenſeat.* Et hoc quidem juramentum, qui ex ephebis exceſſerant, tantum præſtabant. Sin vero minores manumitterentur, juramentum nullum exigebatur. Cæterum manumiſſus Optimati numulum, velut quoddam χαριστήριον, pro inſcriptione iſta donabat; quales decem unciarum ſeu Ioachimici pondus appendunt. Ad commendationem libertatis refero, quod liberi adhuc nondum duodecim annos nati (niſi forte hic fuit annus veteribus pubertatis initium; id quod facile largior) legitime de re neceſſaria teſtificari poterant, non obſtantibus

aliis

aliis rebus ob quas teſtes infirmari ſeu refelli poſſunt. Ibi enim teſtis legitimus cenſetur (in cauſa homicidii) vir liber, non infra duodecimum annum, nec octogenario major, (ut ſenes ſeptuaginta annis majores ad teſtimonium non coguntur de Iure civili;) honeſto domicilio utens; animi corporiſque robore legitimo pollens; vitam & fortunas conſerta manu tueri aptus; nec clypeum nec arcum detrectans (quibus verbis ὁπλόμαχον dicere voluit Codex ſynecdochice, *Clypeum* & *arcum* pro univerſa armatura ponens.) Quo loco iterum virtutis incitamenta, in Conſtitutionibus Iuris ſæpius apud noſtrates recurrentia, videre eſt: ut ſcilicet homo liber nomine ſuo ſe dignum præſtet, & tum demum, etiam duodecennis, teſtificandi honore dignus cenſeatur: ſin minus; contra. Sed iſta alias. Porro ſervi nullo numero erant: nec ad hæreditatem (nihil enim proprium habere licuit) nec ad judicia publica, nec teſtimonia admiſſi. Quocirca etiam horum cædes multo minoris conſtabat, quam hominis liberi: nempe aſſis, ſeu XX unciarum argenti; XII *aura ſilffurs*: Cum liberi cædes plærunque centum unciis, hoc eſt, octo aſſibus & quatuor unciis argenti defæcati conſtaret. Si vero li-

ber homo melioris notæ aut nominis cæſus eſſet, ccc unciis cædes conſtabat: alias majoris, alias minoris. Hinc ſervos vivos adærandi, ſeu certo ære æſtimandi conſuetudo, quotieſcunque venum dabantur, vel quoties ad diſſolvenda nomina alteri domino in poſſeſſionẽ tradebantur. Quia igitur ſervi & liberi, & liberti appellatio ſæpius in exponendis juris aliquot, quæ afferentur, tabellis occurrit; iſtud præmonendum de perſonis erat. De rebus etiam aliquid tale generaliter.

Res hîc eſt, ut & hîc juriſconſulti locuti ſunt, quicquid non eſt perſona. Rerum autem, pretii, ponderis & menſuræ appellationes, hic tantum annotare volui, deinceps lectori ſæpiuſcule obvias. Pretii ſeu valoris nomina fuerunt: *alen, eyrir, morck, hundrad.*

Alen, quod ulnam ſonat, non tantum menſuram denotabat, ut poſtea dicetur; ſed etiam pretium, olim & nunc. Et hæc ulna pretii inde nomen accepiſſe videtur; quod olim ulnam panni Iſlandici valebat: cum hodie ulna panni, duas ulnas pretii cum dimidia valeat.

Eyrir, cum de pretio ſermo, duplex fuit: Alias enim tres ulnas tales; alias ſex continebat, id eſt, aſſis magni partem

viceſi-

viceſimam, ut ex ſequentibus planum fit. Hoc diſcrimen ex Codice etiam aperte convincitur.

Morck, marca porro in rerum taxatione ulnas pretii XLVIII, ſeu VIII *eyrir*, valebat. Hanc ſimpliciter marcam Iſlandicam poſtea appellaturi ſumus. Valebat unciam argenti defæcati cum duella.

Hundrad centum ſonat: ſed quadam conſuetudine plus continet, nēpe CXX; & ulnæ pretii intelliguntur. Hoc nomen per aſſem Iſlandicum vertemus; cujus nota ſſ. Hujus aſſis partes ſunt: Vncia, id eſt, X *alner*. Sextans, XX *al*. Quadrans, XXX *al*. Triens, XL *al*. Quincunx, L *al*. Semis, jſ, LX *al*. Septunx, LXX *al*. Bes, LXXX *al*. Dodrans, XC *al*. Dextans, C *al*. Deunx, CX *al*. Inde as ſequitur, *hundrad, al*, ut dictum eſt. Quæ voces & aſſis ſpecies licet de ponderibus ſæpius uſurpentur; tamen cum etiam as de diviſione ſolidi, ut loquuntur, ut hæreditatis, fundi, & aliorum bonorum, rectiſſime dicatur, aſſis partes huc quoque accommodare non dubitavi. Quālibet igitur magnam ſummam pretii aut poſſeſſionis per aſſem Iſlandicum noſtri connumerant: ut, viceſſis, XX ſſ. centuſſis, C ſſ, vel *hundrad hundrada*. Sic duo, tres, quatuor, &c. centuſſes, CC ſſ, CCC ſſ, CCCC ſſ. Quod autem Gil-

bertus

bertus Cognatus adnotavit ; veteres in æſtimatione rerum, nondum introductis nummis, bove uſos eſſe, ſive ad bovis precium omnia æſtimaſſe; unde nomen ἀλφεσίβοιαι interpretatur : id ipſum de noſtratibus loco hoc monendum venit ; præcipue paulo recentioribus. Ad bovis etiam fœminæ, ſive *fordæ*, precium reliqua exiſtimabant. Ipſa vero *forda* jſ valet.

Ponderum deinceps appellationes fuere *mörck, fiordungur, vvætt*. Marca autem auri & argenti alia erat quam in reliquarum rerum ponderibus. Etenim marca auri puri & argenti defęcati VIII unciarum pondus habuit : Vbi etiam uncia *eyrir* nobis dicta eſt. Et valebat uncia argenti, trientem fere Iſlandicum: Auri vero uncia, III aſſes Iſlãdicos. Marca vero aliorum ponderum, idem quod ſemis vel ſex unciæ Romanæ; *haleſſpund dutsk*. Tales vero marcæ XX, pondus conſtituunt ; quod nobis *fiordungur* : Quod octies ſumptum facit *vvætſam*, id eſt, libras Romanas & Germanicas LXXX. Fuit etiam *pund* nomen ponderis, habens libras Iſlandicas XXIV, Romanas XII.

Menſuras liquidorum per eadem fere nomina deſignabant. Nempe marca liquidorum marcam ſeu libram arido-

rum

rum appendere debebat, ſextarii tertiæ parti correſpondens; qui habet libram cum dimidia, ut Iunio placet. Tales etiam marcæ ſeu libræ Iſlandicæ xx, *fiordung* liquidæ menſuræ faciebant: xii *fiordu͂ngur* tonnam Germanicam.

Menſuræ aridorum, ut panni, lintei, reſtium, &c. per cubitum ſeu ulnam, aut brachium, pollices ſeu digitos communes xx continens, expediebantur.

Menſuræ intervallorum, vel per ulnas fiebant, vel pedes & paſſus: vel per hoſtorium: vel per teli jactum: (*ördrag*:) vel per itinera ſingulis diebus emenſa: (*thingmanna leider.*) Et hæ quidem terreſtris erant. Marinum intervallum viſu ſolo, objecta meta aliqua, menſi ſunt. quæ duo poſtrema etiam terreſtribus intervallis competere poſſe videntur. Nonnunquam profunditate marinum intervallum determinabant: Licet illic intervallum à littore quandoque incertum & impar. Hæc ego cenſebam generalia eſſe rerum & perſonarum requiſita, ſic breviter primum explicanda, ne in iiſdem eſſet conſequenter inhærendum. Nunc ad juris ipſius tabulas ſeu titulos aliquot pro inſtituto noſtro accedamus.

TITVLVS DE CONIVGIO.

Cum Iuris conſulti definiant, jus eſſe præ-

præſcriptum de iis rębus, quæ in vita recte & honeſte degenda ad alterum potiſſimum ſpectant; ſatis innuunt, ſocietatis humanæ cauſa Ius & Iuris prudentiam inventam eſſe. Omnis autem ſocietatis humanæ fons & origo conjugium: cujus titulum idcirco primum recte delibavero.

1. *Qui jure contrahant?*

TItulum quo conjugii leges comprehenduntur, *Feſtar thatt* nuncupabant, à *deſpondendo*. Vnde primum depromendum; Qui jure contrahant?

Hi porro uſitatis conſanguinitatis & affinitatis gradibus ex jure canonico definiuntur: Vbi tamen more pontificio, certa pecunia in fiſcum collata, diſpenſabatur in quibuſdam gradibus prohibitis. Vnde etiam certo colligimus, hunc titulum, quantum ad prohibitiones, Epiſcoporum tempore mutatum eſſe: ſervatis antea tantum naturalibus & jure civili ac divino expreſſis prohibitionibus; id quod etiam ex antiquis hiſtoricis facile demonſtratur.

Sed & civiles prohibitiones acceſſerunt, pro bono publico. Qualis eſt illa: Ne inopes contraherent: ſcilicet, qui minora bona poſſiderent, quam quæ ſex aſſibus Iſlandicis æſtimari poſſent: ne ſcilicet ſua & liberorum inopia oneri

eſſent Reipublicæ. idque ſub pœna exilii. Eadem pœna tenebatur, qui fœminam tam inopem elocaſſet; niſi tam opulentus, ut futuros conjuges, eorumque liberos à mendicante inopia vindicare poſſet; ad quod etiam jure cogebatur. Ex quo apparet, hanc prohibitionem mere civilem fuiſſe: Indidemque, inter ſervum & ancillam non fuiſſe juſtas nuptias; ſiquidé his nihil proprii relictum, ut ſupra expoſitum eſt: immo, non niſi liberas perſonas rite contraxiſſe, ex variis hujus tituli locis convincitur.

2. *Qui jure deſpondeant?*

QUia vero non licuit privata voluntate contrahere, merito hoc ſecundo loco diſpexerũt, quinam jure deſponderent. Nempe proximus hæres maſculus, ſedecim annos natus, vel major: vel fœmina, ſi hæres eſſet ejuſdem maritus: præter matrem; ea enim vidua, lege deſpondebat. Alioqui fœmina hęres non conjugata aut vidua, à deſpondendi jure excludebatur, *cap.*1. Quæ lex in quibuſdam caſibus quam æqua ſit, non eſt hic diſputandi locus.

3. *Formula contrahendi civilis.*

CVm autem alii contractus verbis conceptis fieri debeant: tum hic maxime, præ reliquis iſtis minime diſſolubilis. Sponſus igitur & pars deſpondens,

dens,conſtituta dote & donatione,dextras jungebant; ſponſo in hæc verba proloquente: *Hos ego teſtes præſentes voco, quod tu N. hanc fœminam N.* (nomina perſonarum exprimenda erant) *ſponſione legitima mihi deſpondeas: & vi unctæ dextræ, dotem ipſam, per plenariam executionem formalis contractus, modo coram teſtibus expoſiti, mihi tradas, citra dolum & impoſturam, ut contractus bonæ fidei & legitimus ſibi conſtet.* Hic ſingula verba ſuum pondus habebant, ſuas cautelas & exceptiones: quas hic nimis longum proſequi. Sic etiam abſentes perſonas, alteram vel utramque, amici aut cõſanguinei invicem deſpondebant: requiſita prius partium libera & integra voluntate. Acceſſit quoque poſterioribus temporibus ritus, quo ſponſus dextram cum ſponſa jungens, matrimonium verbis cõceptis, de præſenti, ut loquuntur, contrahebat.

Multa hic præterea de variis, circa matrimonium & nuptias, circa dotem, cum profectitiam, tum adventitiam, & donationes,parapherna, ac antipherna, caſibus.

4. *Pugnantia matrimonii.*

DE repudiis item & divortiis multa: de ſtupro, raptu, adulterio,incæſtu. Quibus omnibus pœna graviſſima infligitur.

ſtigitur. Nec ſolum his, ſed etiam baſiis, & amplexibus clandeſtinis. Baſiis quidem exilii pœna; ſi invita fœmina fierent: ſi conſentiente; trium marcarum Iſlandicarum. Certa etiam in variis ſtupri ſpeciebus pœnæ menſura & modus. Liberæ ſtuprum graviſſimum, ex ſolutis & ſanguine non junctis: Capitis enim diminutione conſtabat. Hinc libertæ ſtupri pœna fuit exilium. Deinde ancillæ trium marcarum Iſlandicarum. Vnde quivis de gravioribus illis, raptu, incæſtu, adulterio, conjecturam faciat: Nempe capitis diminutione maxima conſtabant. Hic etiam cautum; Si ſoluta prægnans, tutorem celaſſet, ex quo concepiſſet: nempe tormentis, à quibus tamen non eſſet infanti metuendum, veritas extorquenda erat. Item pœna parentem mentitæ exilium.

Quæ omnia, ſi cum modernis ſtatutis & conſuetudine in media Chriſtianiſmi, ut loquuntur, luce recepta, conferrem, hancque ad illa accuratius exigere vellem; vereor, ne mihi aut exilium, aut quid gravius ſubeundũ foret: Quod tamen non obſtabit, quin quæ mearum ſunt partium, ſuo loco & tempore, & coram iis, quorum hujus rei intereſt, libere dicam. Interim hac occaſione monendi noſtri politici; ut vel ex hoc

veteris ſeculi rigore, ad libidines & ſcelera non nimium connivere diſcant.

TITVLVS DE SVCCESSIONE hæreditaria.

Conſtituta ratione, qua liberi legitime ſuſciperentur, per juſtum ſcilicet matrimonium vel nuptias: proximum erat tradere; quomodo hi tum in parentum, tum aliorum conſanguineorũ bona legitime ſuccederẽt. Fiebant enim ſucceſſiones fere ab inteſtato, olim præſertim, (media tamen ætas teſtamentis nonnihil tribuebat,) ut & hodie. Nihil enim teſtamento legare, neque per donationes alio conferre, ac à legitimo hærede alienare, ſine hæredum conſenſu, olim licebat. Qui rigor hodie, quantum ad donationes attinet, nonnihil remiſit. De qua re in Codice. Cæterum jus adeundæ hæreditatis, cognationis gradibus ſic definitur:

1. *Tabula graduum ſucceſſionis hæreditariæ, de jure veteri.*

I. Patris matrisve familias defunctorum hæreditatem capiunt filiifamilias: hoc eſt, ingenui & legitimi, & tales qui ad hæreditates lege apti ſint. Atque ita lex excludit incæſtuoſos, ſpurios & ex injuſtis nuptiis natos.

II. Deinde filiafamilias: (Non extante ſcilicet filiofamilias: id quod in

ſequen-

ſequentibus ſemper intelligendum.) Videri autem poteſt hæc lex in filiamfamilias valde iniqua: Præſertim earum nationum reſpectu, ubi filiafamilias filiofamilias in ſucceſſione hæreditaria potior habetur. Sed ut ii, qui ſic ſancierunt, rationem forte ſui inſtituti reddere poſſunt: ita etiam noſtratium hanc legem Spartanæ conſuetudinis exemplo & interpretatione emollire liceat. Non enim dubium eſt, quin, quod lege à Spartanis ſtatutum eſt; Virgines ſine dote nuptum dentur; ex hac noſtratium lege aliquando fuerit conſequens; ut ſcilicet filiæfamilias, hæreditatis parentum expertes, extantibus nempe filiisfamilias, ſine dote nubere coactæ ſint. Id quod noſtrates cum Spartanis ſic ſtatuiſſe procul dubio rear; quod in negotio gamico virtutes virginales plus quam dotem ſpectari maluerint; tum etiam ideo, ut, quibus conjugium indotatum cordi eſſet, ejuſdem copiam haberent, ad vitanda ſcilicet dotatæ inſolentiæ incommoda. Hanc tamen legem de filii & filiæfamilias imparitate, poſterior ætas, circa annum 1271, ſic mitigavit, ut filius in duabus unciis, filia in una, parentibus ſuccederent: Eodem rurſus neglecto in nepotibus: ubi nepos in ſolidum ſuccedit, excluſa nepte.

III. Tertio loco ad hæreditariam ſucceſſionem cenſetur pater. Patriam quoq; poteſtatem gerens dominus liberti ſui vel libertæ hæreditatem, deficientibus liberis naturalibus & legitimis, adito. Idem juris eſt, ſi libertinorum filii ſine liberis decedãt: Id quod de eorundẽ patrimonio intelligendũ, ut quod à priſco domino profectum eſſet: Nam ſi quid reliquum; ad proximos cognatos devolvebatur. Idẽ quoq; juris, ſi libertus alium manumittat, &, ſi liberti libertus ſine liberis decedat; hæreditas primo ad manumittentem libertum, deinde ad priſtinum illius liberti dominum redit. Quod ſi libertus bona ſua vel per adoptionem, vel alia aliqua ratione alienare, & dominum hæreditate fraudare tentaverit, domino manumiſſionẽ retractandi jus relictũ eſt, & bona nihilo minus, etiam vivo liberto, occupandi poteſtas: Eadẽque poteſtas relictis domini hæredibus.

IV. Quartus ad hæreditariam ſucceſſionẽ cenſebatur frater ὁμοπάτριος.

V. Quinta, mater.

VI. Sexta, ſoror ὁμοπάτριος.

VII. Frater ὁμομήτριος.

VIII. Soror ὁμομήτριος.

IX. Filius illegitimus.

X. Filia paris conditionis: uterque

naturalis

naturalis tamen: ut etiam recentioribus conſtitutionibus declaratum eſt.

XI. Id quod de fratribus & ſororibus illegitimis tenendum: Qui his proxime ſuccedunt, eo ordine quo legitimi.

XII. Avus paternus.

XIII. Maternus.

XIV. Nepos ex filio.

XV. Ex filia.

XVI. Avia paterna.

XVII. Materna.

XVIII. Neptis ex filio.

XIX. Ex filia.

XX. Patruus.

XXI. Avunculus.

XXII. Nepos ex fratre.

XXIII. Ex ſorore.

XXIV. Amita.

XXV. Matertera.

XXVI. Neptis ex fratre.

XXVII. Ex ſorore.

XXVIII. Deficientibus his jam enumeratis; ex æquo ſuccedunt patrueles: in ſtirpem ſcilicet: non capita. Deinde conſobrini. Hinc amitini, eadem ratione ſervata ubique ſexus differentia, ut mares, & à maris ſtirpe prognati, fœminis potiores habeantur, in gradu æquali; ſicut de filio & filiafamilias dictum eſt. Hic notandum, jure veteri non eſſe definitum, utrum fratres & ſorores

ἀμφιθαλεῖς, ſeu utrimque conjuncti, & horum liberi, reliquis, ab altero tantum latere conjunctis, & horum liberis, in ſucceſſione jure potiores habeantur.

XXIX. Ex remotioribus, utpote ſobrinis & ſobrinorũ liberis, &c. ut quisque ſanguine proximus, ita ad hæreditatem primus cenſetur.

XXX. Tandem vero, non reperto qui defunctum cognatione attingeret, bona vacantia, iſtius provinciæ magiſtratus, in qua quis obiiſſet, occupavit.

XXXI. Lege etiam obtinuit ἀλληλοκληρονομία, ſive mutuæ ſucceſſionis pactum, ex ſemiſſe, vel etiam triente, aut aliter, inter conjuges aut commilitones receptum, qui ex ſocietate bonorũ, ſeu damni & lucri mutua communicatione, invicem devincti eſſent. Sunt prçterea multa huc ſpectantia, quæ omittimus: ut, Si quis in Gronlandia aut aliis terris non præſentibus hæredibus diem obiiſſet: Quomodo nempe bona relicta, ne legitimo hæredi fraus fieret, tractanda eſſent: Aliique caſus pene infiniti.

2. *Tabula exhæredandorum.*

CErtis porro de cauſis quibuſdam hæreditatem adire non licuit. Vt ſunt:

1. Stupidi & ſenſus communis expertes. His etiam conjugio interdictum ſine

ſine conſenſu tutorum: & liberi ex his nati exhæredandi erant.

2. Geniti ex libero & ancilla: & cōtra.

3. Cujus mater poſt diem quadrageſimum à conceptione manumiſſa eſt. Natus tamen inter liberos habebatur; ſed qui denuo manumittendus eſſet.

4. Cujus pater à domina manumiſſus eſt ut ei nuberet.

5. Cujus pater vel mater capitis damnati ſunt; etiam in conjugio nati; niſi in exteris naſcantur.

6. Parentibus mendicis natus, & ipſe oſtiatim educatus: quamdiu ſcilicet oſtiatim vivit, & triennium à mendicationis tempore proximum. Excipe morbo aliquo affectus. Hujus ſupra fuit mentio.

7. Infans, niſi vivus edatur, & cibum capere poſſit, ad hæreditatem non pertingit. Quamvis ſcilicet poſt diem à conceptione quadrageſimum hæreditas aliqua obtigiſſet.

8. Quorum pater octogenarius ſine hæredum conſenſu uxorem duxerit, alias hæreditates, quam patris, adeundo. Nolebant enim ſenem liberos procreare, quos per ætatem ſuſtentare non poſſet, ſi inops: ſin dives; vetitum ſenis hæreditatem per nuptias non neceſſarias à primis hæredibus alienari. Vide

pœnam ſecundarum nuptiarum, *de jure civili:* quas ſine filiorum conſenſu aut defuncti conceſſione contrahere non fuit licitum.

9. Liberi ex poſterioribus nuptiis in bigamia ſuſcepti exhæredantur.

10. Fœminæ etiam, natorum parentem celantes.

11. Si quis hominem ſpe adeundæ hæreditatis necavit, per ſe vel alium occiſi hæreditatem nunquam adito. Sunt & alia hujuſmodi.

3. *De Tutelis.*

QVia ſæpe pupillis & infantibus hæreditates obtingere ſolent; legem de tutelis eodem titulo noſtri conjunxerunt, non minus prolixam quam variam. Cujus ſumma eſt: *Tutelæ jus, hæreditariæ ſucceſſionis ordinem ſequitur.* Viris enim ante ſedecimum ætatis annum; fœminis ante vigeſimum, hæreditaria bona uſurpare non licuit: niſi viduis, ſi nupſiſſent legitime. Iis etiam ante ſedecimum annum bonorum ſuorum uſusfructus lege conceſſus eſt, ut ex cognatorũ tutela ad eas jure cognationis pertingens. *Tutela ſimilis eſt cura ſive curatio.* furioſi, prodigi, muti, ſurdi, vel alioqui perpetuo morbo laborantis; omninoq; omnium qui rebus ſuis proſpicere nequeunt: majorum ſcilicet quã

qui

qui pupillorum nomen merentur. Vtraque autem, *Tutela* nempe & *Curatio*, vel legitima eſt, vel dativa. Legitima, quę ipſo jure & lege cuipiam competit. Dativa, quæ à legitimo tutore vel curatore, vel à quopiam in propria poteſtate res ſuas habente (ut hic jam curationis nomen nonnihil extendamus) aliis datur & refertur. Hæc enim tutelæ & curæ quædam tranſlatio jure veteri & novo obtinuit. Porro hic tutores & curatores non tantum ob bona tuenda & curanda, ſed etiam ad pupillos, alioſque natu majores pupillorũ vicem gerentes, item inopes & egenos alendos & educandos, dati: ſervata exceptione de mendicis non alendis; *ſupra*. Hinc *Omagabalkur*.

4. *De fundis intra certum tempus repetendis.*

AD hæreditatis occupandæ & uſurpandæ juſtam ætatem quum quis perveniſſet; ſi quæ bona immobilia, ad ipſum lege pertinentia, tutorum mala fide aut incuria alienata fuiſſent; eadem repetendi certum tempus & modus deſcribebatur. *Et tempus quidem decem annorum utilium*, ut periti juris loquuntur: hoc eſt, ex quo tempore quis ſcivit, bonorum poſſeſſionem ſibi competere. eaque ſive per ætatem quæcunque, ſive alia, (quæ pro legitimo repetitionis impedi-

pedimento, ut ſunt furor, imperitia, &c. æſtimantur) petere potuit. Modus vero repetendi, & caſus eodem ſpectantes, tam late, tam diſtincte exponuntur, ut vix in ipſo jure civili quicquā diſtinctius. In quam materiam, ut plæraſque, brevitatis ſtudio falcem non immitto.

5. *De fundorum limitatione & diſtributione.*

VT vero quis fundis & prædiis ſive urbanis ſive ruſticis legitime uteretur, leges de agrorum diſtinctione acceſſerunt: quæ vel per aggerē, vel rivos piſcoſos & flumina, vel per limites ſaxeos, nonnunquam horum loco colliculos vel monticulos terræ peculiari ratione inſignitos, vel in ſylvis per arbores peculiares, fiebat: vel alioqui ductas ab uno certo loco ad alium lineas viſuales horizontem recta interſecantes. Quibus limitibus nomina propria indiderunt, ut ad poſteros facilius transmitterētur.

Prædium autem unum & idem ſi ad plures dominos ſpectaret, domuum, agri, paſcuorum diſtributio & æquatio fiebat, omniumq; commoditatum huc ſpectantium, ut ſylvarum, piſcaturæ, aucupii & lignationis in locis maritimis, ubi fluctus, ut alia, ſic etiam ligna ſive arbores, undarum alluvione excorticatas, magno procurationis divinæ

argu-

argumento, (in qua agnoſcenda & extollenda me tautologiæ non piget,) in littus ejiciunt. Hæc fundorum & ad fundos pertinentium commodorum æquatio, ſemel legitime facta, nunquam iteranda fuit aut infringenda: ſed ut lucrum, ſic periculum, & damnum, ſingulorum proprium fuit, non commune.

TITVLVS DE CONTRACTIBVS.

Quum itaque quis in hæreditatem juſte conceſſiſſet; quia etiam in commerciis humanæ ſocietatis nervus quodammodo ſitus eſt; de contractibus leges additæ; de emptione, venditione, locatione, conductione rerum, ſive mobilium, ſive immobilium: de ſervitutibus item, quas reales Iuris conſulti vocant: quæ in quo ſunt apud illos diſcrimine, ita fere apud nos. Eſt autem ſervitus realis ſeu prædialis; conditio, qua jura unius prædii minuuntur, alterius augentur; (*Itauk* vernacule:) vel etiam agendi habendive aliquid in alieno prædio, ad ſui prædii emolumentum. Hic quoque multa de pecudum aliarumque rerum legitima æſtimatione, ad uſuram cavendam: deque earundem poſſeſſione & cura, ne aliis damnum importent, per uſum ſcilicet alterius agri aut paſcuorum illicitum, qui per juſtum contractum fit licitus: proindeque de aliis legitimi

legitimi contractus pugnantibus;utpote de contractibus illegitimis juridico proceſſu infirmandis; de furto, rapinis, & horum maleficiorum variis ſpeciebus & pœnis: Summa; Quomodo cui ſuorum bonorum uſusfructus legitime & ſine alterius injuria conſtare poſſit: & quomodo damnum alterius bonis illatum reſarciri debeat:denique quomodo contractus & commercia terra marique rite exerceantur: Quocirca etiam jus nauticum huc pertinet: *Farmauaroff, der Soerecht.*

TITULUS DE HOMICIDIO; QUI omnes injurias, in famam,corpus vel vitam hominis illatas, continet.

Cæterum, licet commercia vitæ humanæ optimis legibus fuiſſent conſtituta; tamen experientia olim & nunc teſtatur, quam ægre, quam difficulter ſit legibus à multis obtemperatum. Vnde variæ in vita communi contentiones, de rebus etiam inimicis, nedum amplis bonis,locupletibus prædiis,patrimoniis, hæreditatibus; quæ priſcis ſane temporibus vix ſine ſanguine diremptæ: Imo èx verbere aut verbulo, nedum vulnere, infinita mala exorta, cum pluriũ etiam nece conjuncta, animis vindictæ cupiditate ferventibus.Quibus malis ut modus & meta aliqua poneretur,titulus de homi-

homicidio conditus eſt: nobis *Wiig ſlode:* qui omnes injurias, famam vel corpus humanum tangentes, complectitur. Itaque etiam hic de verbis injurioſis; quia ſcilicet hinc ſæpe ad reales illas injurias, quæ in ipſo facto conſiſtunt, ventum eſſet. Hæc vero lex reliquas ſui varietate vincit, miro & multiplici juris proceſſu. Non ſolum itaque homicidium, ſed etiam vulnera graviora, (puta, cæde parum diſtantia, quæ corpus vel membrũ aliquod perpetuo inutile redderent,) nunc exilio, nunc gravius, pro circumſtantiarũ varietate, plectebantur. Erant enim etiam quædam injuriæ, impunito vel minus punito homicidio, intra certum temporis & loci terminum (quantum nempe jaculi vel ſagittæ ictu circuari poterat) vindicandæ.

Homicidium vero involuntarium aut furioſi, certo modo plectendum. Habuit etiam plagium; habuit αὐτοχειρία ſuas leges. Αὐτοχειρία autem hic duplex: aut mente capti, aut compotis mentis. Compotis mentis, aut necans; aut ſaltem vulnerans, ad doſum malum alteri cuipiam faciendum; qui facti vulneris autor falſo accuſaretur. Definita omnibus his pœna non levis reperitur. Porro homicida, trina confeſſione, nempe apud tres colonos, ei

loco

loco in quo cædes facta eſt maxime vicinos, de proprio ſcelere teſtari debebat; ante ejuſdem ſolis occaſum, quo cædem feciſſet. Sin minus; homicidium nefarium, hoc eſt, nulla ratione expiandum, decernebatur, niſi vitæ propriæ & bonorum omnium jactura. Hinc tamen certæ exceptiones; quas videris alibi. Homicidii vero compenſatio ad hæredem legitimum pertinebat: Præterquã quod ad matrem ſuperſtitem tertia pars redundaret, patre vel fratre cæſi exiſtentibus hæredibus. Ad tutorem etiam vel curatorem hæredis occiſi, ſi pupillus eſſet, vel pupillo ſimilis. Vel ſi fœmina nupta hæres eſſet; ad ejuſdem maritum triens compenſationis pro homicidio factæ redibat, tanquam ſuſceptæ moleſtiæ in illa juris executione honorarium.

Hic præterire nequeo; quod cum titulus de homicidio late pateat & fuſe tractetur, parricidii mentionem nullam invenias: Eam procul dubio ob cauſam, quam Lycurgus, Spartanus ille legiſlator, reddidit quærenti: Cur is in ſuis Rhetris & inſtitutionibus nullam parricidio pœnam ſtatuiſſet? nempe, quia nullum eo dementiæ proceſſurum crederet, ut parricidio ſe inquinaret. Quod idem reſponſum pro noſtris veteribus

Nomo-

Nomothetis afferimus. Sed & convitiis ac probris, oratione ligata vel ſecus, coram vel aliter, in aliquem jactis, graves animadverſiones objectæ: ita etiam ob hæc, cædis in præſenti, ut loquuntur, commiſſæ culpa mitigari potuerit. Denique de cæde, à cane, tauro, urſo cicure facta, certæ leges. Quas omnes, ut in præcedentibus titulis, abrumpimus conſulto, hanc Spartam aliis forſan relicturi, qui ingenio & Academico otio magis abundabunt, ut corporis juris noſtratum anatomen ex profeſſo inſtituant, ſicque ex diligenti anatome Epitomen conficiant, ordine aliquo magis logico omnium oculis ſubjiciendam. Qui demum ingenuus magis & idoneus fuerit, in hoc ſanè literarum humanarum genere, ad vitam communem ſtudiorum fructus, quam vel tabernas, vel quid deterius ſequi, vel alioqui annos juveniles in otium illiberale convertere: vel etiam eoſdem in nudis ſciolorū oſtentamentis conſumere: alioſque velut ex alto præ ſe deſpicere. Proprium enim eſt fere ejuſmodi ingeniorum, faſtum in æquales, in ſuperiores adulationem exercere, relicta interim penitiore illa ſapientiæ moralis cognitione (quod nihil aliud eſt, quam pro Penelope ancillas amplexari) qua ſocietas & vita hu-

mana maxime indiget: quæque ſecundum divinas literas, ex hiſtoriis, & variarum gentium moribus, inſtitutis, legibus, invicem collatis, potiſſimum hauritur: Nam alioqui hiſtoria quæ etiam leges & inſtituta gentium complectitur, non eſſet vitæ humanæ magiſtra; qua laude eximia, apud Cic. 2. de Orat. ex imitatione Plat. in Cratylo, apud Herodotum libr. 1, apud Livium præcipue, & alios, excellere meruit.

CAP. X.

Monomachiæ leges, & Sacramenti Ethnicorum ritus.

ET conſtitutiones juris Iſlandorum ſic leviter deguſtaſſe ſat erat. Fuerunt autem præterea alia quædam conſuetudine recepta, quamvis in jus ſcriptum ſive juris codicem non relata: quæ perinde ut jus ſcriptum valebant. Tales ſunt monomachiæ leges, & ſacramenti exhibendi ritus. Monomachiam vel ſingulare certamen inituri, *ſcamma* vel ſpatium quoddam, quod non excederent, poſitis terminis, deſcribebant, idque vel lodice ſeu ſtragulo quodam, pedibus certantium ſubſtrato: Vnde ſi alteruter profligaretur, tribus marcis argenti defæcati ſalutem redimere tenebatur. Qui humum cruore prior tinxiſ-

ſet,

ſet, victus cenſebatur: idque, ut apparet, in certaminibus minus ſeriis, tanquam ludis gladiatoriis: vel deſcribebatur Martius illis campus, facto circo quopiam, ut per cancellos ligneos, aut aliud ſimile: & hi cancelli *Heſleſteinger* dicti ſunt. (Inde etiam Phraſis, *ad haſla audrum voll:* Idem quod, *Bioda aholm*, ad ſingulare certamen provocare.) Idcirco quia forſan cancellis iſtis primum corylus, qui *Haſelbaum* & *Haſelnuſzbaum* dicitur Germanis, materia fuerat. Vt appareat, hanc rem & rei appellationem ex iis terris acceptam ubi coryli naſcuntur. Victor autem (in hoc certamine magis cruento) omnium bonorũ victi hæres evaſit. Parta vero victoria, è veſtigio taurus immanis productus eſt, quem ſi victor unico ictu non interficeret, victi cognatis contra victoré agendi jus fuit. Quibus monomachiæ legibus Egillus Scallagrimus noſtras non ſemel vicit; & in ampliſſimas poſſeſſiones victorum ſucceſſit. Ea conſuetudo, ut minus æqua, circa annum 1006 abrogata eſt. Quin autem duello lites forenſes de prædiis, hæreditatibus, dotibus nonnunquam diremptæ: ita, ut bona controverſa victori cederent, ſine majore jactura bonorum victi. Idem autem juris, ſive quis ad duellum poſtu-

latus recuſaret; ſive certando vinceretur. Erat etiam quoddam mirabilius duelli genus: quod in capaciſſimo vaſe ſuperne clauſo exercitum eſt: ubi etiam baculus ligneus, cubiti longitudine, enſis loco fuit: Quo certamine *Thorgiſellus örrabeinius* noſtras Randidũ Scotiæ dirum pugilem ſuperavit. Vtrobique autem obtinuit, ut provocatus, priore loco enſem (vel quod enſis loco erat) vibrando feriret. Etenim hoc ſeculum conflictus non præcipitabat: ſed per vices quaſi manum conferentes feriebant; ut Saxo vere annotavit. Erant enim præcipue in illa aperta monomachia (quam ſic appello reſpectu ejus, quæ in vaſe concluſo fiebat) galea, clypeo, enſe & haſta inſtructi pugiles. Talis monomachia fuit.

Sacramentum Ethnicorum hic commemoro, quo veritatem inprimis aſſerebant: vel criminis alicujus ſuſpecti; vel aliquid magni momenti ſine teſtibus aſſerentes, vel fœdere ſociali unus alteri fidem jurantes hoc fere ritu. Ceſpitem oblongum, veluti laminam quandam, humo exciſum, & in fornicis morem ſurgentem, ita ut fines ambo humi affigerentur, de veritate teſtaturus ſubire juſſus eſt: Super quem ſi nullo fulciente non corruit fornix ille ceſpitius, fidem

meruit;

meruit; Sin minus, criminis falſi damnatus eſt. Non ſane illud ſuum ſacramentum Ethnici minore cum religione præſtabant; quam hodie paſſim ſuum jusjurandum Chriſtiani.

Sin eodem ſacramento fœdus erat; haſtam fornici pro fulcro ſuppoſuere, ſub quo etiam confœderandi, duo, tres, pluresve conſiſtentes, cruorem, manibus aut aliunde, ferro elicitum, una miſcebant: ad mutuam fidem hoc pacto obſignandam. Quare hoc ritu potiſſimum τὸ Συμμαχικὸν ſancitum & juratum eſt; ut ſic Confœderati velut quidam Συμμαχικοὶ ἐπίμαχοι eſſent: ubi id præcipue unicuique incumbebat (præter mutuum auxilium quo in vita unus alteri devinctus erat) ut uno cæſo, reliqui ſuperſtites, ſive unus ille, ſive plures, τοῦ Συμμάχου necem quavis ratione ulciſcerentur: idque elicitus corpore cruor ſignabat; etiam ſanguinem, adeoque vitam, in mutuam ſalutem vel ultionem impendenda.

Sed & hunc ritum aliqualis pœnæ, ſubjectionis vel ſatisfactionis loco, uſurpatum reperi; cum peccatum vel offenſa aliqua hoc pacto luenda fuit, ut nempe quis ſub terreum fornicem, aliqua tamen ratione ſuffultum (quia tum ſa-

cramentum nullum ſuberat) ſemel aut iterum ſubiret. Hinc quidam, cui de offenſa hoc pacto ſatisfactum eſt, gloriatus eſt, adverſarium ſuum infra ſues dejectum. Sues enim roſtro tantum, non vertice humum ſubintrant.

CAP. XI.

De mutatione religionis Islandorum.

QVod de priore ſtatu Reipublicæ Islandorum reliquum adhuc videtur, religionis mutationem concernit: quæ in annum Ariſtocratiæ 126, (à primo incolarum ingreſſu ſi numeres) id eſt, annum Chriſti 1000 incidit: ubi etiam totalem, ut ſic dicam, mutationem intelligo; non particularia certamina & labores, quibus pluſquam 20 annos in Chriſtiana religione indaganda ſudatum eſt.

Olaus Tryggo nomen habuit inter Norvvegiæ Reges quidam; non ſolum Norvvegiæ, ſed totius Europæ Imperio digniſſimus hæres, quicquid alii, ſive per inſcitiam & ignorantiam hiſtoriarum, ſive per invidiam criminentur. Hic cum in exteris, militiæ, non tantũ Caſtrenſis, ſed etiam Chriſtianæ, non dicam tyrocinia, ſed magnos profectus feciſſet: videretque tempus jam eſſe, q̃uo ſibi per

Regii

Regii ſanguinis lineam & ſucceſſionis ordinem, Norvvegiæ regnum adire liceret: Patria jam aliquot annis immanis monſtri, *Haquini* Maligni & Divitis (utrumque enim cognomẽ habuit) præfectura & tyrannide fœdata, regios animos & audaciam occupandæ Norvvegiæ ſumebat anno Domini 996, Deo Optim. Max. motus tam heroicos gubernante, & in præſentiſſimis *Haquini* iſtius inſidiis, aliiſque periculis ſæpius objectis; ad divini Nominis gloriam & multorum ſalutem, ſecundante. Pronepos vero *Haraldi* Pulchricomi, Monarchæ Norvvegici, anno Chriſti 932 demortui, ex maribus deſcendens, ille *Olaus* fuit: Qui non tam Regni obtinẽdi, quod ipſi tamen jure debebatur, cupiditate, quam majoris & auguſtioris rei augendæ ſtudio, Norvvegiam adiit, anno prædicto ſimulque Monarchiam obtinuit: Cæpitque veteri religioni Ethnicorum extirpandæ totus illico non ſine fructu incumbere: quæ res ab hujus *Olai* patruo magno parum feliciter, circa annum Chriſti 933, aut quartum, (*Haquino* nempe *Adalſtenio*, qui in Anglia religionis Chriſtianæ ſemina imbiberat) tentata, meliores ſucceſſus nunc experta eſt; quamvis non ſine maximis & difficillimis certaminibus, prout ex

hujus Herois vita in hiſtoria Norvvegiç deſcripta cognoſcitur. Hic inquam Norvvegiæ Rex, ſecundũ Deum Opt. Max. totalis converſionis autor fuit noſtratibus. Antea vero in particularibus fidei indagandæ certaminibus *Thorvaldus* quidam *Conradi* filius de *Bilia*, Borealis Iſlandiæ civis, laudabilem operam navavit. Qui poſt longinqui orbis peregrinationem, & fidem ac baptiſma ſacrum in Saxonia Germaniæ ſuſceptum quendam *Fridericum*, melioris fidei Profeſſorem, ſecum in patriam adducens, religionis Chriſtianç præco extitit circa annum 982. In quo propoſito cum *Thorvaldus* minus quam ſperabat, proficeret, vale patriæ & penatibus dicto, exacto quadriennio ſeceſſit, Græcia, Syria aliiſque remotiſſimis terris peragratis, Conſtantinopoli feliciter mortuus. Interim tamen inde factum exiſtimamus, ut anno Chriſti 984 ædes ſacræ quibuſdam Iſlandis in uſu eſſe cæperint.

Cæterum Norvvegus ille Rex *Olaus*; cum jam in Norvvegia negocium fidei ad bonam frugem promoviſſet; velletque de Iſlandia & inſulis vicinis aliquid tale tentare; miſit hujus rei gratia *Stephnerum* quendam ad Iſlandos, Iſlandum: ſed irrito conatu. Miſit deinde alium, circa annum 997, *Thangbrandum*

dum nomine, Sacerdotem officio, qui quamvis difficulter, apud quoſdam tamen nonnihil profecit. Nec deſiſtit in ſanctiſſimo propoſito Rex laudatiſſimus: Qui Iſlandos in Norvvegia prius ſacro fonte ablutos, tertium in Iſlandiã ablegavit: *Gyſſerum* quendam cognomine *Album*: & *Hialtam Sceggi* filium, anno Chriſti 1000. Qui in foro magno inſulæ id obtinuerunt tandem, ut idolorum cultu ſepoſito in religionẽ Chriſtianam juratum eſſet: Huic negocio primum annuente & favente *Thorgeiro Lioſvvetninga Boda*, illius temporis Nomophylace, ex Boreali Iſlandia oriundo: qui ad eam rem prolixa & efficaci oratione populo & magnatibus præivit.

Idem cum præſtantiſſimus hic Norvvegiæ Rex, eodem quoque anno, de Gronlandia etiam obtinuiſſet; ut & ante biennium, de inſulis Farenſibus appellatis & Hetlandia; hujuſque rei tam lætos ſucceſſus ante ejuſdem anni milleſimi autumnum accepiſſet; magnas ac immortales æterno Numini egêre gratias: idque, inquam, ante illius anni autumnum, quo is poſtea, velut concredito munere probe defunctus, in pugna Gryphisvoldenſi, adverſus trium potentiſſimorum Boreæ Principum vires imparatus & modica claſſe dimicans, non

tamen virtute, ſed voluntario conſilio victus, cedebat: ut videlicet tertium illum Principem, Ducem *Ericum*, *Haquini* illius Maligni & Apoſtatæ filium, de fide Chriſtiana, ſi vinceret, votum facientem, Chriſto lucraretur. Ceſſiſſe autem dixi Regem, non occubuiſſe: Prælio enim navali, natando exceſſit: multiſque poſtea annis, ut ex hiſtoria Norvvegica demonſtratur, ſupervixit in exteris, vitam monaſticam amplexus.

Etiam Iſlandi fide Chriſtiana hac ratione imbuti conſilium de religionis Antiſtitibus ineunt: Quique aliis Regius antea legatus & orator, de fidei initiis autor fuerat, *Gyſſerus Albus*, (Iſlandiæ Meridionalis civis erat; ut & Collega *Hialta*) exemplo quoque ſuo ad eandem fidem & religionem ornandam reliquis præluxit. Filium enim *Iſleifum* ſtudiorum gratia Erfordam ablegavit, effecitque ut is in patriam reverſus Epiſcopatus munere dignus cenſeretur.

Iſleifus itaque hujus dignitatis primus candidatus Romam inviſit, anno 1056, perſcriptoque Pontificis mandato ad Bremenſem Archiepiſcopum, ab eodem in feriis Pentecoſtes ordinatur. Salutavit autem in itinere *Henricum* Imperatorem & filium *Conradum*, in quorum gratiam donato urſo Gronlandi-

landico ſe inſinuavit. Reverſus in patriam anno 1057, Cathedram Epiſcopalem in prædio ſuo urbano & avito, *Schalholltia*, in Iſlandia Meridionali ſito, fundavit. Cathedræ etiam ſcholam aliqualem adjunctam habuiſſe legimus, ex qua *Ionas Ogmundus*, *Holenſis*, & *Colerus Vicenſis* in Norvvegia, Epiſcopi exierint.

Hic monendum, quod & alibi annotavimus, Religionem ſacram apud primos hujus gentis Epiſcopos ſynceriorem viguiſſe, quã poſterioribus temporibus: ubi nempe pontificio fermento magis magiſq; infecta eſt: Id quod vel ex ſacerdotum conjugio, aliquot Epiſcoporum tempore nequaquam interdicto, colligimus. Nam & hic *Iſleifus* Scalh. Epiſcopus primus, uxorem duxit *Dallam*, *Thorvaldi* de *halſe in Fnioſcadal* filiam, ex qua filios tres reliquit: anno 1080 decedens.

Succeſſit *Iſleifo* trium filiorum unus, avo cognominis *Gyſſer*. Hic maximis animi corporiſq; dotibus prędicatur. Erfordæ, ubi & pater, bonis literis operam navavit: & plurimas alias terras vidit & urbes. De ipſo *Horaldi* Crudelis Norvv. Regis celeberrimi tale judicium fuit: *Gyſſerum* ad tria hæc ſatis aptum fuiſſe: ut vel Regem ſeu terræ Præfectum, & belli

& belli Ducem, & Eccleſiarum Antiſtitem ageret. Mira ſane ipſius autoritas apud novitios Chriſtianos in patria, inde apparet, quod is leges de decimis primus omnium, nullo refragante, per *Marcum Sceggi* filiumNomophylacem, anno 1097 ferri curaverit. Is anno 1081, cum pater *Iſleifus* nuper deceſſiſſet, ab exteris reverſus, noluit in terram deſcēdere, multo minus conventus incolarum frequentare, Epiſcopatum refugiendi ſtudio: donec cognoſceret *Guttormum* quendam in Epiſcopum Scalhold deſignatum. Qui deinde in primo conventu, quo ſui copiam *Gyſſerus* faciebat,oblatum munus conſtanter recuſavit; ita ut *Gyſſerum* ad illud idem ſuſcipiendum incolæ mox adegerint. Qui jam quadragenarius, Pontificem Rom. ſalutans, ab eodem ad Moguntinum Epiſcopum ordinandus amandatur, anno 1082. Et anno ſequente Cathedram adit. Vxorem quoque hic habuit, *Stenunam Thorgrini* filiam.

Hujus Epiſcopatus anno 26, id eſt, Chriſti 1106, in Boreali Iſlandia peculiaris Epiſcopatus fundatus eſt: Quē primus geſſit *Ionas Ogmundus*, vir magni nominis, ex meridionali Iſlandia oriundus. Is jactis in ſchola Iſleifiana bonarū litera rum fundamentis, exteros inviſit, Ro-

mam uſque penetrans. Deinde cum in aula *Suenonis Alſivii* Daniæ regis aliquantiſper vixiſſet, in patriam reverſus Epiſcopus deſignatur Iſlandiæ Borealis: Qui ſimiliter ſalutato Pontifice, in Daniam adLundenſemArchiepiſcopum ablegatur. *Hiallta* vero nomen fuerat, provinciæ cujuſdã Borealis Iſlandiæ *Hialltadal* eponymum. Qui etiam ibidem prædium urbanum habuit; olim *Hoff*, poſtea *Holas* dictum. Iſtius *Hiallta* relicti filii novum, Religionis novę, Antiſtitem & Epiſcopum, prædictum *Ionam Ogmundum*, adeo cupide amplexi ſunt, ut ad Cathedralis Eccleſiæ fundationem hæredium illud ſuum *Hollenſe* libenter impenderent. Fratrum uni *Oxerus* nomen (vel Taurea,) qui antea *Holis* ædem ſacram extrui curarat, tantæ magnitudinis, ut Iſlandia parem non habuerit. Lignea hæc fuit, ut & multæ aliæ: ſed tecto plumbeo: Quæ & ignoto caſu conflagraſſe fertur, alia, multo inferioris magnitudinis, ſubſtituta; Quam hic *Ionas Ogmundus* diruit prioris iſtius amplitudinem novæ ædis reſtauratione affectans. Cujus, Ogmundianæ nempe ædis, veſtigia Cathedra Holenſis etiamnum retinet; ſubinde à variis, prout uſus poſtularat, refectą. Saxa vero hic Epiſcopus in vicino monte

verſus Euronotum ſito effodi primus curavit; lateres referentia, tum colore rubeo, tum materia quoque ſectili: Vnde altare templi & gradus juxta altare fieri fecit. Vnde etiam ſucceſſu temporis totum ædis pavimentum conſtratum eſt. Iuxta templum, occidentem verſus, Gymnaſium extrui juſſit, ubi & linguæ latinæ tyrocinia juventus exercuit. Annotarunt enim curioſi annalium ſcriptores, templi architectum, *Thoroddum* nomine, tanti fuiſſe ingenii & acuminis, ut ex auſcultatione Grammatices, in ſchola templo vicina pueris inculcatæ, artis præcepta imbiberit. Fertur etiam Epiſcopus ſcholaſtico cuidam Epiſtolas & Amores Ovidii manibus excuſſiſſe; cui iſta legenti ex improviſo ſupervenerat. Ludimagiſter traditur fuiſſe quidam *Giſlaus Finnonis*, natione *Gotlandus*. Quæ idcirco annotavi, ut appareat, Iſlandos noſtros linguæ Latinæ jam tum fuiſſe ſtudioſos. Ex hac enim ſchola Holenſi multi poſteriorum temporum Epiſcopi, & Abbates prodierunt. Hoc *Iona* Epiſcopo dira fames provinciam *Hunavatzthing* Borealis Iſlandiæ attrivit; ad quam avertendam, votum de Eccleſia *Thingexris* fundanda factum eſt, epiſcopo templi fundamenta deſcribente. Moritur *Ionas ögmundus* anno

1121, in Sanctorum numerum poſt annos demũ 80 religionis ſynceritate jam obfuſcata relatus.

Huic ſucceſſit quidam *Cetillus*, anno 1122, ſecundus *Holenſis* Epiſcopus; *Thorlaco Runulfi*, qui tertius *Scalholltenſis* fuit, ſynchronos. Hi conjunctim jus Canonicum, quod *Chriſtinnrett* & *Chriſtivaſaga thatt* vocant, auxerunt; accedente *Oſſuri* vel *Aſſueri* Ludenſis in Dania Archiepiſcopi autoritate. *Cetillus* uxorem habuit, *Groam*, *Giſſuri* Epiſcopi *Scalholltenſis* thori legitimi filiam. *Thorlaco Runulfi* in Epiſcopatu Scalholltenſi ſubſtitutus eſt *Magnus Einarius*, anno 1134. Huic *Klaingius*, 1152. Qui idem duabus navibus magnis ligneam materiem, unde templum Scalholltenſe ædificaret, advexit, exhibito in templi ſolennitatem 600 convivarum epulo: magnatibus non indonatis dimiſſis. *Klaingium* in Epiſcopatu excepit *Thorlacus Thorhalli* filius 1178, ſextus *Scalholltenſis*, cum antea muſis Pariſienſium militaſſet: Cujus militiæ hunc fructum in patriam retulit, ut eo Epiſcopo conjugium ſacerdotum primum damnatũ ſit. Succeſſorem habuit *Paulum Ionam*, 1195, ex *Magni* Nudipedis Regis Norvv. ſanguine oriundum. Vixit in aula *VValdemari* Daniæ Regis & *Suerri*

Norvv.

Norvv. Regis: ab *Abſolone* Lundenſi Archiepiſcopo ordinatus. Hic contra prædeceſſoris morem & interdictum, conjugii vinculis ſeſe aſtrinxit. Atrium templi Scalholltenſis magnis ſumptibus exſtruxit; mille convivarum epulum ſimul exhibens, apophoretis in primores collatis. A Paulo, inter Scalholltenſes, Ariſtocratia durante, duo Epiſcopi reliqui fuerunt: Magnus 1216, & Sigvardus 1239.

Porro inter Holenſes, *Ketillo* ſuperius commemorato *Biorno Gilſon* ſucceſſor factus eſt: 1147. Huic *Branderus Sæmundi* filius, quartus nempe inter Holenſes: Qui Papiſticarum ſuperſtitionum doctior, *Ionæ Ogmundi* primi Epiſcopi Holenſis reliquias, in cœmeterio olim conditas, refodi curavit: eique in Sanctorum numerum relato, diem tertium Martii menſis ſacrum dicavit, anno 1201, quo & ipſe *Branderus* è vivis exceſſit.

Secutus eſt Branderum *Gudmundus* cogn. *Bonus, Arneri* filius, anno 1203. Hunc *Botolfus* 1239. Illum *Henricus* 1247, apud Holenſes Ariſtocratiæ tempore ultimus. Ad Epiſcopos autem ſpectabat, ut monitum, Legum canonicarum conſtitutio; De conjugii, baptiſmi, funerum ritu Eccleſiaſtico; De voto, decimis,

cimis, eleemoſynis, & donationibus in uſus ſacros: De templorum & cœmeteriorum prophanatione, Sabbathi violatione, & aliis. Quæ quia ex Eccleſiæ Rom. & aliarum hanc ſecutarum canonibus magna ex parte ſumptæ ſunt, nihil novi in iis deſcribendis attulero. Id tamen hic non tacendum ſum ratus; tantam fuiſſe veterum ergaMiniſterium reverentiam, ut jus civile & ſæculare, ut vocant, juri divino ſeu eccleſiaſtico (ſic enim jus canonicum indigetabant) cedere voluerint, non ſemel aut iterum, ſed ubique prout in Comitiis anno 1050 apud nos ſancitum eſſe, alibi quoque retulimus. Quæ reverentia Miniſterii ſi hodie æque vigeret; minus profecto contentionum & ſimultatum haberemus: at viciſſim expreſſiorem Eccleſiæ notam, quæ in illaReverẽtia etiam elucere debet. Ex illa vero, quam dixi, juriſdictioneEccleſiaſtica evidens eſt, Epiſcopos penes quos illa fuit, etiam ſua habuiſſe conſiſtoria & forum Eccleſiaſticũ: alias quidem in ipſa Cathedra; alias alibi &c. Nec de mutatione Religionis Ariſtocratiæ tempore plura.

FINIS.

LECTORI S.

Cum pagina nonnulla vacarent, placuit ſubjungere Epigrammata quadam Willichii Weſthovii, Cimbri, P. L., de urbibus & oppidis Salandia.

SAELANDIA INSULA.

SIcut apyrotus micat in diademate regis: (ſedet:
Annuli ut in medio gemma decora
Sic in Daniaci niteo Sælandia regni.
Circo: ſic reliquis partibus anteeo.
Nam quas me ſpatio regiones vincere terræ
Cernis, ego has ſuperans fertilitate premo.
Fertilitate pares mihi quæ ſunt, amplior iſtis
Expandens fines terra pateſco meos.
Ergo, caput quantum reliquos ſupereminet artus,
Tanto aliis regni tractibus ipſa prior.

I. HAFNIA.

DAniaci cuſtos ſceptri & clariſſima regni (tus eram:
Metropolis, quondam nil niſi por-
Nuda quidem ſtatio velorum, at tuta carinas (ſuas.
Huc certus poterat nauta locare
Talis

Talis erat Venetum ſedes præſtabilis olim!

Londinum, virtus Anglica, tale fuit!

Poſt, ubi commoditas graviori ſorte patebat,

Paulatim vicus cœpit hic eſſe locus.

Re tandem atque uſu rerum creſcentibus urbs hæc (die.

Succrevi, & quovis creſco novata

Et jam portus adhuc dicor; quo nomine dicar, (va ratis.

Balthica velivolans dum premet ar-

Quid vetat, exili fundamine ſurgere vicum,

Quæ tandem urbs celſum tollat ad aſtra caput?

In armamentarium Regium.

Pyramidum ſcopulos Ægyptia Memphis opacet: (habent:

Mœnia ſat laudum nunc Babylonis

Nil aurata queunt mentitq; tectaDianæ:

Nil Mauſolæi nobilis urna juvat:

Sol nihil eſt Rhodius: Cyri nil regia: quin &

Phidiaci poſthac gloria nulla Iovis.

Subſidat Latii vanus decor amphitheatri: (veni.

Theca huc Dreſdenſis non, operoſa,

Danorum ſuperant Armamentaria Regis (git opus,

Omne quod in mundo nobile ſur-

II. ROSCHILDIA.

FOns Regii cultus (fundaminis anſa) Roëque, (meum.
Rex pariter, nomen compoſuere
Sueno, bifurcatæ Rex à cognomine barbæ
Notus, jus augens municipale dedit.
Templi inſigne decus, ſupremi Antiſtitis aram (menta capit.
Quondam, nunc regum quod moni-
VVilhelmo cœptum fundari à præſule, præſul
Præfectum tecti culmine Sueno dedit.
Poſt aliis alii me auxere ornatibus amplam
Pontifices, donec plena decore ſteti.
Tum, Latiæ ſtulto me inflante Tyrannidis œſtro,
Ipſa mei caſus triſtis origo fui.
Ex me, urbes, vano defungi diſcite faſtu!
Excelſæ ſorti vaſta ruina comes.

III. HELSINGORA.

HElſingo oppoſitæ Sælandicus angulus oræ, (fero.
Vrbis ego ſpeciem, tectaque, juſque
Arbitra velorum, ſtatio haud vitabilis ulli (cunque fretum.
Anchoræ, in hoc veniet quæ modo
Solus jura negat data Rex ſubiiſſe: ſupra nam (ipſe modum.
Ius hominum eſt, juris dat quibus
Præte-

Prætereà occiduis huc ſive feratur eôis
Fluctibus, aut alio gurgite ducta ratis,
Iuſſà meo duplices fundo mox impli-
cat uncos, (ſuas.
Et merces offert heic mihi prima
Tam præluſtre urbi decus arx Friderici-
cia gignit!
Altera Daniaci quippe Corona ſoli.
Ergo alibi fuge quod nolis; heic quære
quod optas:
Quod mihi terra negat ferre, mini-
ſtrat aqua.

IV. ORINGBORGVM.

ANtiqua Arx, regum ſedes, quo no-
mine ſignat
Me, ſylvoſa id ei tradidit ora loci.
Falſtria cum ſociæ vicino limine terræ
Quom crebro hoſtili cederet arcta
pedi; (Mavors
Atq; hinc Vandalicus Sælandica littora
Impeteret, quidvis depopulãte manu:
(re caſtrum,
Hoc illi oppoſitum eſt adverſo in litto-
Ne quis ab externo læderet hoſtis
agro. (rit; eſto:
Oppidulum ſi quis me nunc vocitave-
Quondam adeo tenuis non ego ſor-
tis eram. (valli,
Tumque argilloſi me claudebam aggere
Foſſarum arcebant extera quæque
lacus.

Tunc in honore ſuo res mecũ erat ampla: patentes
Arcis erant ſpeculæ tunc in honore ſuo.
Credibilis fama eſt, celſos tum Danica (Reges
Sceptra ac aſſiduos heic habuiſſe lares.
Id propius notum, VValdmaros, alte- (rum & unum,
Hoc regni multos ſe tenuiſſe loco.
Alterius ſedet heic nomen, ſtat conſcia rerum
Fama, perenne manet quod prope- (ravit opus.
Nunc cultu vacuus rupto ruit aggere murus:
Atque utinam Res non, arce caden- (te, cadat.

V. RINGSTADIA.

SÆlandæ in medio nitens *Ringſtadia* terræ,
Mutuor ex agris quod maris unda (negat.
Nec tamen hinc reliquis ego vilior urbibus: harum
Quæque eſt hoſpitii dedita jure mihi.
Huc ſimul accitl properant, mea tecta frequentant,
Arce ſedens, habitans mœnia, rura (colens.
Prætoris vox heic magni ſonat æqua: reportant
Ius eques hinc, cives agricolęq; ſuum.
Ergo Divûm adytis quantum, Sælandia, debes,
Tantum mî: Aſtrææ ſum domus ipſa (tuæ.

VI. CALLUNDBORGUM.

BAlthica, quà mea ſunt, cuſtos ego littora ſervo,
Ne quis ab his prædas finibus hoſtis agat.
Candidus hanc arcem, quanta eſt, *Eſbernus* in uſum
Erexit, fratris nomine, fratris ope:
Mænia tunc etiam celſa vallare corona
Cernere erat civem, ac civica tecta, meum.
Hæc varii caſus, varii evertere tumultus
Belli, ut vix jam ſint rudera nota ſuper.
Tantum inimica poteſt variabilis alea Martis,
Non abſque irati mente volente Dei.
Fida ſat excelſis ſtatio eſt mihi puppibus: omni
Illa meos ditat commoditate Lares.
Quicquid ad has recto tranſmittit Cimbria curſu
Terras, in portum ſolvitur omne meum.
Ex hoc longinquis me notior urbibus urbs eſt
Iſto in Balthiaci littore nulla maris.

VII. COAGIUM,

FLuctibus Arctoi ſat bella *Coagia* ponti
Alluor: hinc campus ſubjacet, inde nemus.
Quæ ſylvæ utilitas, agri emolumenta, fretique
Commoda ſunt, meus hæc omnia civis habet.

Dat glandes & ligna nemus; dat paſcua
campus: (beat.
Piſcibus & variis mercibus unda

VIII. NESTVEDIA.

SIve mihi dederit, præter qui labitur,
amnis ineſt;
Neſſa, alio ſive hoc omine nomen
Sit: de hac voce vocor. Nec, ubi Sælandica cenſes
Oppida, poſtremo ſum referenda loco.
Totam in circuitu nemora, agri, paſcua
tangunt, (*Neſſa* rates:
Quæ per agens medius fert mihi
Neſſa in Balthiaci ſe fundens ilia Nerei
Oſtio arenoſis latipatente viis.
Hinc ego, quo dives, terræ iſtius oppida, longe
Diſſita, multigeno cætera piſce beo.

IX. SKELFISKORA.

BAlthiaci Nereus ponti Rex ſi qua
locavit (brica,
Fundamenta urbi, hæc illius eſt fa-
Hinc lateri ſociat, ſinui inde omnem
applicat oram: (tenet.
Atque ſecans mediam brachia tenta
Squammigeris illam donis utraque ſaginat (concha jacet.
Parte Deus: plena hinc indeque
Vnde loco nomen Concharum eſt Angulus: etſi (bonum.
Iſtic poſtremum ſit modo concha

Ejus

Eius enim ex uſu civem formare cari-
nas (Venus.
Concharum docuit nota magiſtra
His longo adve&#x1F;ctat quæſitas æquore
merces,
Et peregrina ſuis mutat ubique bonis.

X. SLAGLOSA.

VT me deſtituit mare, ſic beat opti-
ma tellus: venit.
Res hinc non minus ac inde beata
Si, rota quam ſtridens, plus fert onera-
ria puppis; inde minus.
Adde, quod hinc damni plus venit,
Ingenioſa igitur ſecuro tramite cives
Dito, & res augés ſervo labore meas.

XI. HOLBECA.

QVa Sælandiaci Danus monimenta
revolvis (eunda tibi.
Priſca ſoli, haud ego ſum præter-
Quippe vetuſtatis contendo nomine
multis (habet.
Vrbibus, hujus ager quas regionis
Argumento arx eſt, mihi quæ de colle
propinquo
Imminet, & vix jam ſe ruitura levat.
Commoditate ſimul tellure fretoque
petenda (que favet.
Non cedo: Tethys eſt æqua, Cereſ-
Quod mihi nomen ineſt, propter qui
Rivus oberrat.

XII. CORSORA.

PRimitus utChriſti plantari heic vinea cœpit,
Multa ſuperſtitio in relligione fuit:
Vani ſacrorum ritus, ſimulacraque Divûm, (cruces.
Et numero plures cœlum habuere
Omnibus in triviis, omni trabs myſtica portu (Deum.
Legitimo privans ſtabat honore
Hanc quoque Balthiaci Crux ardua littoris oram (cris.
Servabat, primis adnumeranda ſa-
Inde loco titulus crevit, nomenque refluxit (que tenet.
Municipî quod nunc formaque res-
Forma quidem ut res eſt; atque hæc ut prædicat illa: (*bonum eſt.*
Quod nequit eſſe altum, ſi mediocre,

XIII. PRAESTOA.

INſula Presbyteris ego quondam habitata prophanis, (cant,
Quos vitæ Monachos de ratione vo-
Nunc urbis gero rem, nunc urbis præbeo formam, (malam.
Formam ac rem non pro conditione
Et, quanquam à primo locus hic jam differat uſu,
Raſorũ ejecto deſide fratre patrum:
Ipſa tamen, ſervans antiqui nominis omen,

Inſula Presbyterum poſtea ut ante
vocor.

XIV. SLANGERUPIA.

PLurima ceu variis regionibus oppida vici
Principio fuerant, ſic ego pagus eram.
Inde ſuperſtes adhuc pars eſt mihi nominis una: (que gero.
Municipî quanquam jusque decus-
Copia ſerpentum quos amnis, terra, palusve
Heic aluit, pars eſt nominis altra mihi.
Quom Nereus procul eſt, propior mihi prodiga tellus: (necat.
Hæc alit, ut peperit, quod ferus ille

XV NICOPIA.

OPpida commendet reliqua ardens laude Vetuſtas, (facit.
Laudatam Novitas me memoranda
Hanc clare profitens ego teſtor nomine: *Si laus,*
Eſſe aliquid; fieri, pars quoque laudis erit.

FINIS.

A.

ALburgenſis diœceſis. 52
Amaga. 68. 71
Anholta. 59
Anſloa. 91
Apenroa. 45
Arhuſium. 49
Arhuſienſis diœceſis. 49
Aria. 65
Arnsburgh. 48
Aſcens. 62

B.

Battingsburgum. 50
Berga. 93
Blekingia. 89
Boens. 62
Bornholmia. 79
Burglavienſis diœceſis. 52

C.

Callenburgum. 75
Cartemunda. 62
Cimbrica Cherſoneſus. 42. 228
Coagium. 76
Coldinga. 48
Corſora. 75

D.

DAniæ ſitus. 1. *& reliquis. Deſcriptio.* 41 *& reliquis. Cæli ſolique qualitates.* 98
Danorum origo. 119. *mores, ingenia, & inſtituta,* 103. *ordines ſeu ſtatus.* 110. *reges.*

*reges.*120, *& reliquis. &* 168. *ac deinceps. Doctrinam D. Mart. Lutheri profitentur.* 216
Dithmarſia. 231

E.

Ckelfurtum. 43
Elſingora. 71
Elſingoburgum. 86
Emecloſter. 52
Endela. 51

F.

Afferland. 58
Falſtria. 65
Finmarchia. 96
Fionia inſula. 4.59. 101
Flensburgum. 43
Friderichsburg. 74

G.

Ottlandia. 79
Grimſtadium. 50
Gronland. 35

H.

Aderſlebia. 44
Hafnia. 68. *ſeqq.*
Halagland inſula. 7. 35
Hallandia. 87. 89
Halſterbroa. 49
Hammaria. 91
Hansburgum. 44
Hansholmia. 55
Heiligland. 4
Helm.

Helmſtadium. 88
Herlefsholmia. 78
Hielmia. 51
Holſatia. 224. *& deinceps.*
Horſneſium. 50
Huyſemum. 44

I.

IEgena. 55
Iſlandia. 299. *&c.*
Iſlandorum lingua. 318. *Vivendi ratio.* 252. *&c. Exercitia corporis.* 363. *Forma reipublicæ.* 366. *& reliq. Religio.* 370. *&c. ejus mutatio. Leges.* 339 *&c.*
Iutlandia. 42. 47

L.

LAholmia. 88
Lalandia. 63
Landtscrone. 84
Langelandia. 63
Lundia, 83
Lymford. 53

M.

MAlmogia. 85
Mariaber. 50
Maſterlandia. 90
Middelfurtum. 62
Mona. 76
Morſingia. 55

N.

NEuburg. 63
Nicopia. 55. 65. 77

Nidroſia. 95
Norvvegia 27. *& reliquis.* 89. 100. *dicitur etiam Nordmannia.* 27
Nyburg. 61

O.

ORuntbuis. 50
Oſilia. 81
Oſterholmia. 55
Ottenſehe. 60
Ottinſund. 2

R.

RAndruſium. 50
Ringcopia. 49
Ringhſtadium, 75
Ripenſis diœceſis. 47
Roſchildia. 67

S.

SAllingia. 17
Samſoa inſula. 50
Scanderburgum. 51
Scania 5. *ſeqq.* 82. 99. *Weſtergotthia dicitur* 19. *Holſatis oppignoratur.* 198 199.
Selandia. 4. 65
Slangendorpium. 75
Sleſvicum. 43
Sora. 77
Stormaria. 231
Suedia 22. *& reliquis. Sueonia dicitur. ibid.*
Sueonia. 16. 17

Snynburg. 62

Synderburgum. 46

T.

TAſsinga. 65

Thule inſula. 33. 304

Thya, 54

Thyſtadium. 54

Tonninga. 45.

Tranekera. 63

Trondemnis metropolis Normannorũ. 30

Truntheim. 95

Tundarium. 45

Tunna. 51

Tyrholmia. 55

V.

VBſola templum. 22

Venſilia 52. 53

Veſburgum. 51

Veſterviga. 54

Viburgum. 57

Viburgenſis diœceſis. 56

Vitungherrit. 49

VV.

VV Aaersbergen. 88

Wagria. 230

Warda. 49

Wardhuſia. 96

Weela. 49

Ween. 73

Winland inſula. 36

Woburg. 62

FINIS.

Summa Privilegii.

I*Lluſtrium & Præpotentum D. D. Ordinum fœderatarum Belgiæ provinciarum decreto cautum eſt* Bonaventuræ & Abrahamo Elzeviriis, *Academiæ Leydenſis typographis, Ne quis præter illorum aut hæredum voluntatem toto decennio proximo, his in regionibus excudat, ant alibi extra provincias excuſum inferat vendatve, librum hunc, cui titulus,* De regno Daniæ & Norvvegiæ, inſuliſque adjacẽtibus: juxta ac de Holſatia, Ducatu Sleſvvicenſi, & finitimis provinciis, tractatus varii. *Quod ſi quis contempta auctoritate, directe vel indirecte, præſumpſerit, librum hunc, totum, vel partem ejus, hoc ſive alio modo, extra dictum temporis intervallum, mandare typis vel impreſſum alibi in has oras inferre & vendere; confiſcatione exemplarium, mulctaque inſuper ſexcentorum florenorum, damnas eſto; uti latius patet in ipſo privilegio, dato Hagæ in conventu D. D. Ordinum Generalium,* xv *Maii,* M DC XXVI.

G. V. Hertevelt Vt.

Ad mandatum Præpotentum D.D. Ordinum General. ſſ.

I. van Goch.

Digitized by Google